CENTUM VIGINTI, PRETIOSÆ COGITATIONES, EX MEDITATIONE PASSIONIS,

Sive

DUODECIM AUREÆ DECADES,

Praxium, & devotiſſimorum Affectuum, quibus Sodales Congregationis,

D. N. JESU CHRISTI

in Cruce Agonizantis,

Recitant Roſarium quinque SS. Vulnerum, pro obtinenda ſancta morte:

Totidem menſtruis Exhortationibus propoſitæ, in Templo Soc. JESU Bambergæ,

A

R. P. PHILIPPO KISELIO,


Fuldenſi, è Societate JESU.



BAMBERGÆ,

Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.

Anno M DC LXXV.



DECAS I.

SIVE

PRIMA EXHORTATIO, pro Mense Januario, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea (alii legunt, *in oratione mea*) *exardescet ignis*, Psalmo 38. v. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Exhortatio hæc proponit, decem aureas praxes, sive, cogitationes sanctorum virorum & sponsæ ex Canticis, de Imagine Crucifixi, quibus pii sodales Agoniæ, sub oratione Rosarii quinque SS. Vulnerum, excitare poterunt ignem ardentis devotionis.

§. 1. *Ardens Votum Auctoris.*
§. 2. *Spirituale Xenium.*
§. 3. *Sex Praxes, Sanctorum Virorum, ardenter orantium, cum viva memoria JEsu Crucifixi.*
§. 4. *Apostrophe ad Sodales Agoniæ, ut iisdem utantur.*
§. 5. *Amplexus, Oscula, Lacrymæ, Suspiria ad JEsum Crucifixum, excitant amabiles flammulas Divini Amoris.*
§. 6. *Apostrophe ad Sodales.*
§. 7. *Pium monitum Thomæ de Kempis.*

§. 1. *Ardens votum Auctoris.*

Viri eximiè Sancti, subinde coram imagine Crucifixi, tam ardentes ex intimo pectore profudere preces, ut astantes viderint, ex ore illorum, lucidas & amabiles erumpere flammulas, & in altum erigi ad sanctissima usque Christi Crucifixi Vulnera, præsertim, apertum ejus latus. Mi amantissime JESU! omnes guttulæ

mei sanguinis; omnes fibræ cordis mei, accensæ in calidissimis fornacibus Sanctissimorum Vulnerum tuorum, hoc desiderant, ut omnia verba, quibus hoc anno meis sodalibus propositurus sum centum viginti pretiosissimas & devotissimas cogitationes de tua Passione, sint totidem flammulæ, prunæ & scintillæ illius amoris, quo te cupio amare, diligere, tibi uniri, toto corde meo, mi JEsu! Deinde hanc mihi concede gratiam, ut eadem verba, imò omnes syllabæ, omnes literæ, omnes anhelitus, sint tales flammulæ in cordibus meorum sodalium, ut concipiant fervens desiderium, omni possibili devotione, & ardore ita orandi Rosarium SS. Vulnerum, ut in nobis exardescat ignis veræ devotionis, quam hæ decem cogitationes multum promovebunt.

§. 2. Spirituale Xenium. Pro spirituali strena anni hujus Millesimi, Sexcentesimi, Sexagesimi Septimi, offero meis sodalibus, Duodecim Rosariola & decades, ex pretiosissimis sive gemmis, sive floribus compositas, & ornatas, id est, in duodecim anni hujus, menstruis exhortationibus, vobis communicabo centum viginti sanctissimas cogitationes, sive totidem pios affectus, vel aureas praxes, quibus viri sancti, dum orarent, in se excitarunt ignem illius devotionis, qua vellem meos sodales recitare Rosarium quinque sanctissimorum Vulnerum, pro obtinenda felici hora mortis. Ut cum Psalte dicere possimus 1. ex cit. psalmo: *In meditatione nostra exardescet ignis.*

§. 3. Sex praxes sanctorum virorum, ardentes orantium; cum viva memoria JEsu Crucifixi. Auream praxin nos docuit S. Bernardus, de quo ejus vita ait, *sub oratione erat JEsus Crucifixus in corde ipsius: Imago Crucifixi, nunquam ab animo ejus recedebat. Semper illum cogitabat, pro se pendentem in Cruce.* 2. Abbas Stephanus, vir religiosissimus, cum pii religiosi ab ipso peterent methodum bene orandi, respondit: *Quod habeo, hoc dico vobis; ego diu noctuque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum JEsum Christum, pendentem in ligno.* 3. S. Petrus Damianus, narrat se solitum fuisse ita orare: *Cerno præsentissimo mentis intuitu Christum clavis affixum, in Cruce pendentem.* 4. Addit: *Et avidus suspicio, & excipio stillantem supposito ore cruorem.* 5. Ludovicus Blosius affectuosissimus amator Passionis Christi, hunc orandi modum nobis reliquit; ut, qui vult, ut in oratione exardescat ignis veræ devotionis, omnes cogitationes, omnia verba oris; *Devota cogitatione intingat in purissimum sanguinem JEsu Crucifixi, & hauriat ardentia suspiria, è roseis Vulneribus ejus.* 6. S. Augustinus cap. 13. Solil. in hoc erupit suspirium, *Nunquā recedat à corde meo, qui propter me, non recessit à Cruce.* O pulchras rosas! O pretiosas gemmas, quibus, si volumus, ornare possumus nostrum Rosarium quinq; SS. Vulnerum! O amabiles flamulas, quæ facient, ut in cordibus nostris exardescat ignis devotionis, & amoris erga Jesum Crucifixū.

§. 4. Apostrophe ad sodales agonia ut iisdem utatur. Convenistis huc, ut coram sanctissimo sacramento, pro obtinenda felici hora mortis, recitetis Rosarium SS. Vulnerum; Itaque prima cura sit, ut sub hac oratione, per amaram contritionem, per ardentem caritatem, mediante divina gratia, JESUS

Cruci-

Crucifixus fit in cordibus vestris; ut tristissima ipsius imago ab animis vestris non recedat; quamdiu orabitis; cogitate vos videre illum, pro vobis pendentem in Cruce, & ardescet ignis; à vulneratis ejus manibus, amabiles in corda vestra evibrari flammulas. Cum Abbate Stephano, imaginē, sive omnia Crucifixi membra lustrate, aspicite, sed piis oculis; amorosi, suaves, dulces, ardentes oculorum nictus, & radii erga JEsum pendentem in Cruce, sunt iterum amabiles flammulæ. Ut fortius urant, cum S. Petro Damiano, imaginem Crucifixi aspicite, prçsentissimo mentis intuitu, quasi Crucifixioni in monte Calvariæ, corporaliter effetis præsentes; quasi oculis cerneretis clavos, quibus ligno fuit affixus (habes occasionem pulchræ descriptionis) ideoque, avidi suspicite & excipite stillantem, supposito ore, cruorem: ruite cum Magdalena in amplexus crucis, sub oratione primæ decadis cogitate in corda vestra stillare guttulas pretiosissimi sanguinis, ex Vulnere sinistri pedis; sub oratione decadis secundæ, excipite guttulas ex Vulnere pedis dexteri, &c. quomodo erit possibile, ut inter tam sanctas cogitationes nostra non inflammetur & ardescat devotio? præsertim, si insuper omnes nostras cogitationes, omnia desideria, omnia verba intingamus in pretiosissimum illū sanguinem. Hic cruor, rosea illa Vulnera, sunt fontes, ex quibus haurire possumus, ardentissimos affectus, & obtestationes, quibus Christus crucifixus motus, sanctam & felicem nobis concedet mortem.

Addo paucis, quatuor residuas gemmas hujus decadis, sive exhortationis; & sunt quatuor praxes, quibus animæ sanctæ, privatim suam erga imaginem JesuCrucifixi devotionem, & amorem demonstrare solent; dum dulce illud lignum 7. amorosæ stringunt brachiis, exemplo sponsæ, Cant. 1. v. 12. quæ fasciculum myrrhæ, imponens pectori, dixit; *fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur*. Probabile est, 8. eandē sponsam, eundem fasciculum inter dulces amplexus, suavissimis quoque osculis delibasse; quod colligo, ex illis verbis Cant. 1. v. 1. *Quis mihi det, ut osculetur me osculo oris sui.* 9. Cum sponsus, oculos sponsæ comparet oculis Columbarum sive turturum, & piscinis in Hesebon, puto id sponsum fecisse, ob tenerrimas lacrymas, quibus, inter amplexus & oscula sui fasciculi, eundem irrigare fuit solita. 10. Inter hos amplex⁹, inter hæc oscula, inter has lacrymas, illis fuit accensa flāmulis, ut ruens in deliquiū amoris, exclamarit, Can. 2. c. v. 5. *Stipate me malis, fulcite me florib⁹, quia amore langueo.*


§. 5. *Amplexus, oscula, lacrymæ, suspiria ad JEsum Crucifixum excitant amabiles flammulas Divini amoris.*

O si in tali deliquio amoris! ô si inter tales amplexus & oscula! ô si cum lacrymis & ardentissimis suspiriis ita oraremus Rosarium quinque SS. Vulnerum; sanctissimo desiderio satisfacere possumus, si volumus. Sodales amantissimi! corda nostra vertamus in cellas amoris; in sanctam eremū & solitudinem! Vel si mavultis, abscondite vos intra Vulnera Crucifixi! illa sunt cellæ amoris! in illis sancta est solitudo! in hac, in Vulneribus manuum & pedū, in sacrat. illo corde, ruere nobis

§. 6. *Apostrophe ad Sodales.*

licet in dulcissimos amplexus nostri Dilecti! hic permissa sunt oscula castissimi amoris! hic gemitus, lacrymæ, suspiria, affectus, desideria, sanctæ cogitationes excitant amabiles flammulas, quæ exardescere faciunt ignem devotionis.

§. 7. *Pium monitum* Finio hanc decadem vel Exhortationem verbis piissimi auctoris. *Ut erga Passionem Christi amplius ferveatis; ut intensius oretis; intensius & frequentius de Passione, de Christo Crucifixo cogitate.* O si hoc fiat! ut nullam diem, nullam noctem, imò nec horam transire permittamus, sine pia recordatione JEsu Crucifixi, cui sit honor & gloria, in sæcula, Amen. *Thoma de Kempis*



DECAS II.

Sive

EXHORTATIO II.

Pro mense Februario, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardescet ignis, Psalmo 38. v. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DEcem pretiosæ cogitationes, de hac maxima: JEsus Crucifixus est nutrimentum nobilissimum veræ devotionis, & ferventis Orationis.

§. 1. *Propositio hujus maximæ.*

§. 2. *Consideratio Passionis est Scintilla, qua calefiunt animæ sanctæ.*

§. 3. *B. Ida Lovaniensis, visa sibi fuit sub oratione tota ardere.*

§. 4. *B. Virgo tota fuit accensa igne amoris Divini.*

§. 5. *S. Bavonem sub oratione accendit, pendens super caput in aere Crucifixus.*

§. 6. *Dulce alloquium Crucifixi ad S. Hedvvigen.*

§. 7. *Finis orationis nostræ esse debet, ut placeamus soli JEsu Crucifixo.*

§. 8. *Alloquium Crucifixi ad S. Elisabetham.*

§. 9. *Favores à JEsu Crucifixo exhibiti S. Lutgardi.*

§. 10. *Apostrophe ad Sodales.*

Finis

§. 1. *IesusCrucifixus est nutrimentum veræ devotionis,& ardentis orationis.*

Finis, exhortationis meæ ultimæ, mense superiori, fuit, piũ monitum, piissimi Thomæ de Kempis; ut erga Passionem Christi amplius ferveatis, ut intensius oretis; intensius & frequentius de Passione, & potissimum de Christo crucifixo cogitate. Quod monitum, aliis verbis sic exponit, P. Joannes Nadasi, in Arte trigesima prima amandi B. Virginem; *JEsus Crucifixus, divini amoris, & veræ devotionis sub oratione, nobilissimum est nutrimentum. Ex ejus enim aspectu & viva memoria oriuntur amabiles illæ flammulæ, quibus incenditur ille ignis, de quo ait regius Psaltes, in meditatione, vel oratione mea exardescet.*

§. 2. *Consideratio Passionis est scintilla quæ calefiunt animæ sanctæ*

Ut mox sub oratione Rosarii SS. quinque Vulnerum illas flammulas sentiatis, cogitate 1. illud, quod Christus D. dixit Virgini Matri, cum oraret, pro viro quodam, Dei amore accendendo (l. 6. revel. S. Brig. c. 20.) frigidum quidem illum esse in caritate, sed in Matris orantis gratiam, daturum se ei scintillam; & tum Deipara subjunxit; *Scintilla est consideratio Passionis Filii mei; sed debet esse frequens in cogitatione. Si hanc scintillam frequenter afflaverit, tunc ipse calefiet, & ego tunc illum applicabo ad ubera mea.* Sodales mei amantissimi, puto esse æquissimum, ut illa oratio, qua tantam gratiam petere volumus, scilicet, sanctam & felicem mortem, non sit tepida & frigida, sed ardens & fervens? & quibus scintillis hunc fervorem faciemus exardescere? sub prima decade Rosarii, Scintilla erit consideratio Vulneris in sinistro pede Christi crucifixi, sub altera decade, scintilla erit Vulnus pedis dexteri, &c. O si tales scintillæ ex Vulneribus Christi mox evibrentur in corda nostra! O si afflemur his flammulis! tunc calefiemus, & Virgo dolorosa, Mater misericordię nos applicabit ad sanguinea ubera lateris Salvatoris, inde cum pretioso sanguine sugemus ardentes affectus ardentis amoris & teneræ devotionis.

§. 3. *B. Ida Lovaniensis sub oratione, visa sibi fuit tota ardere.*

B. Ida Lovaniensis, in divino amore occupata, visa sibi aliquando est, totis oculis, auribus, manibus, membris omnibus, in totidem corda conversis, ardere Deo; subdit cap. 16. p. 3. Stim. amoris, *Hauriebat hos ignes è Vulneribus Crucifixi, in iisdem ab eo ad amandum erudita* Quomodo fieri potest, ut hic mihi non occurrat altera piissima cogitatio, & votum? O si mox sub oratione Rosarii, pro felici morte, omnium meorum sodalium oculi, aures, membra omnia converterentur in ardentia corda, quibus toti ardeant Deo & JEsu Crucifixo! sed unde flammulæ hauriendæ illæ sunt? ex Vulneribus crucifixi, sub prima decade, ex Vulnere pedis sinistri, &c.

§. 4. *B. V. tota fuit accensa igne amoris divini.*

Apud S. Mechtildem spirit. grat. l. 1. c. 24. & 25. B. Virgo fecit mentionem fervoris, quo anima Mariæ, in Deum, velut scintilla in ignem suum revolavit, & gaudii, quod habuit, cum anima ipsius tota succensa fuit, igne divini amoris, ex quo ardore, tota quoque sanctorum multitudo incanduit. Adverto vobismetipsis occurrere 3. sanctissimam cogitationem, & ardens desiderium; O si sub oratione

tione Rosarii, simili quodam fervore, animæ nostræ in Deum & JEsum Crucifixum, velut scintillæ in ignes istos divinos, evolaremus! O si corda nostra, tota accenderentur, igne divini amoris! O si toti incandesceremus! Placent mihi sanctissimæ vestræ cogitationes, sed moneo; scintilla est consideratio JEsu Crucifixi, &c.

§. 5. *S. Bavoni sub oratione accendit pendens in aëre super caput ejus Crucifixum.* S. Bavo, piissimus Princeps, cum in templo ardentissime oraret, spectante populo, supra caput ejus in aëre apparuit crucifixus, à quo accensus fuit, ait Historia. Hic, quarta cogitatione vos alloquor sodales mei; oculos vestros conjicite in altare majus; ecce novam Imaginem crucifixi, quomodo Salvatoris, vulnera, sanguinem, dolores, angustias tristissimæ agoniæ, ipsam mortem vobis repræsentet; spero fore, ut ex ejus aspectu Spiritus S. sanctissimas suggerat cogitationes Ad te verò, mi JEsu, quinta mea se vertit cogitatio; accende nos, per tua Vulnera, accende nos, &c.

§. 6. *Dulce alloquium crucifixi ad S. Hedvvigem.* Mi JEsu! sextam cogitationem hujus decadis mihi suggerit S. Hedvvigis Princeps Poloniæ; cui, cum coram tua imagine ferventer oraret, dignatus es de cruce clara voce dicere, *Exaudita est oratio tua: impetrabis ea, quæ petiisti.* Fortassis illa suspiravit; Mi JEsu, per spineam coronam exaudi me: per eandem nos petimus felicem mortē; (est locus pro pulchro affectu) hæc cogitate mei sodales, sic orate, exaudiet bonus JEsus preces nostras; impetrabimus ea, quæ petimus.

§. 7. *Finis orationis nostra esse debet, ut soli JEsu Crucifixo placeamus.* Sed, ut preces nostræ Deo crucifixo sint gratiores, memores simus 7. qua praxi S. Edmundus suas obtulerit; cum inter oscula crucifixi, ardentibus desideriis ab eodem aliquid peteret, hanc clausulam subjunxit, *Mi JEsu, te testem habeo, nihil me unquam expetivisse præter te.* Orabimus statim Rosarium SS. quinque Vulnerum, ut petamus sanctam mortem; orate ferventer, sed opto, & moneo; ut simul eundem Jesum habeamus testem, petere nos tantam gratiam, ut per illam, illi, modo, & in æternum placeamus.

§. 8. *Alloquiū crucifixi ad S. Elisabetham.* S. Elisabethæ Reginæ Hungariæ, cum in templo coram crucifixi spinis coronati imagine coronam auream de capite deposuisset in arrham & signum ardentis erga eundem amoris, Cœlestis sponsus illi dixit, *si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum; & nunquam volo à te separari.* Sodales mei, cogitate hanc cogitationem meam octavam, pretiosam esse gemmam, cui aureis literis cuperem inscribere hoc ardentissimum meum desideriū, totius hujus Congregationis nomine; Mi JEsu! si tu vis esse nobiscum, nos volumus esse tecum: & nunquam volumus à te separari. Hanc gratiam efflagitamus oratione nostri Rosarii.

§. 9. *Favores à JEsu Crucifixo exhibiti S. Lutgardi.* Nonam & decimam cogitationem, pro clausula hujus decadis hausi ex lectione vitæ S. Lutgardis Virginis, cui Christus crucifixus favores exhibuit plane singulares. Cum duodecim annos esset nata, multisq; procis forma ejus placeret, Christus crucifixus lateris sui hians Vulnus illi ostendit, & dixit; *filia, omni amore posthabito, hic quære, quod amas.* Quæsivit & invenit. Alias eidem Virgini Christus crucifixus, cor abstulit, & suum substituit. Cum ægra, nihilominus

noctu

noctu ſurgeret, laſſaque pergeret ad Eccleſiam, crucifixum habuit obviũ, qui brachio & amplexu, illam ad latus ſuum admovit, ad hauriendum pretioſum ſanguinem. Quas flammulas, quàm calidas, quàm amabiles putatis tum exarſiſſe in ardenti pectore hujus Virginis?

§. 10. *Apoſtrophe ad ſodales.* Sodales JEſu Crucifixi! ecce hians vulnus benedicti lateris & cordis! poſthabito omni amore mundano, N. N. N. hic quærite, quod amatis! Tu verò mi Jeſu, ut hoc fiat, rape, aufer corda noſtra, tuum ſubſtitue: tuo corde, in tuo corde vivere volumus, & mori! his ardere flammulis, & cum in agone ex pugna erimus laſſi, obvium habebimus JEſum Crucifixum; hic ſuis vulneratis brachiis, ſuo amplexu, nos admovebit ad ſanctiſſima Vulnera; porriget nobis diviniſſimum cor, ut in illo, exſpirantes, ibi, ubi fuit amor noſter, inveniamus vitam æternam, Amen.



DECAS III.

Sive

EXHORTATIO III.

De ſanctiſſima cruce, Pro menſe Martio.

O *crux ave, ſpes unica,* Ex hymno Eccleſ.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit hæc exhortatio aliquot pias cogitationes de S. Cruce, quæ oſtendunt ejus amorem & venerationem multum valere, ad obtinendam ſanctam mortem. Vel, Amor Crucis facit nos animoſos, ne nimium timeamus mortem.

§. 1. *Sub umbra crucis, etiam in agone, morientibus eſt tuta quies.*

§. 2. *Virga aurea Aſveri, Eſtheri fuit ſignum, quod eſſet liberata à morte: nobis, tale ſignum eſt S. Crux.*

§. 3. *Alia figura ex libris Regum.*

§. 4. *Si teneamus lignum Crucis, nullum timeamus præcipitium.*

§. 5. *Si pugnemus ex alto crucis, hoſtes noſtros facillimè vincemus.*

§. 6. *Crux ſedat fluctus tentationum.*

§. 7. *Crux Chriſti, facit nos animoſos.*

§. 8. *Aliæ tres ſuaviſſimæ cogitationes.*

§. 1. *Sub umbra Crucis etiam in agone morientibus est tuta quies.*

PRæsens exhortatio, meis sodalibus proponet decem pias, affectuosas, & pretiosas cogitiones de S. Cruce, in qua Redemptor mundi mori voluit, ut omnes ejus Electi, & inter illos mei sodales, ut spero, aliquando moriantur sanctè. Prima cogitatio hæc est, sub umbra crucis etiam in agone, contra tentationes diaboli, tuti quiescemus; hæc cogitatio his diebus mihi occurrit ex aspectu imaginis, in qua inter tonitrua & fulgura, inter imbres & grandinē, magnæ & forti arbori veluti cruci affixus pendet Christus Crucifixus; truncum forti amplexu stringit & amplectitur anima devota, sub umbra ejusdem arboris Pastor cogit suas oviculas; epigraphe picturæ hæc est; *Omnibus hic requies, alias cur quærimus umbras?* Sodales mei amantissimi; similis & gravior tempestas nobis imminet, cum aliquando inter angustias mortis pugnandum nobis erit contra insidias, & ignea tela diaboli; sed modo dum tempus est, quærite umbram sub hac cruce; invenietis quietem, stringite hanc arborem, non mors, non infernus vos separabit à Christo. Rosario quinque SS. Vulnerum alligate vos huic palmæ, cum S. Paulo, cum Christo D. crucifigite membra vestra, & in eadem invenietis mortem sanctam. Timeant, qui quietem & tutum locum quærunt in pratis hujus mundi, inter rosas veneris, sub platano vanitatis, juxta flumina & fontes Babylonis; sub his umbris non possum vobis promittere sanctam, sed potius timeo pessimam mortem peccatorum; sub cruce Christi tuta quies!

§. 2. *Virga aurea Asveri Estheri fuit signũ, quod esset liberata à morte, nobis tale signum est S. Crux.*

Alteram cogitationem mihi suggessit cap. 4. Esther. Ut Asverus non verbis tantum, sed signo quodam externo, metum mortis ab illa removeret; *tulit auream virgam, & posuit super collum ejus*, &c. Josephus ait l. 11. c 6. *Hæc locutus sceptrum in manu ejus inseruit, & cervicem ejus virga permulcens aurea, à legis metu* (quæ jusserat omnes Judæos occidi) *omnino fecit liberam.* Sic index & signum protectionis, & liberationis à morte, fuit aurea virga, postea super collum Reginæ. Ut cogitemus, modo SS. Crucem, cujus illa aurea virga fuit figura, si illam amemus, & veneremur, spem certam nobis facere, nos liberandos à morte infelici. Si cruces, quas D. Providentia ponit, super colla nostra, feramus patienter, si cogitemus, illas exemplo Christi D. cum patientia esse ferendas, simul cogitare possumus, & certo nobis persuadere, nos sanctè morituros, & à morte æterna certissimè fore liberos. In agone, nihil diabolus contra nos efficere poterit. D. Ephrem. orat. de Antichristo; *Scit enim versutus ille, quia ubi crucis Christi signaculum positum fuerit, solvitur continuo virtus ejus omnis.*

§. 3. *Alia figura ex lib. Regum.*

Cogitatio 3. de S. Cruce, quæ sequitur, nobis suggerit modum, ut per amorem crucis nos præparemus ad sanctam mortem. Cum l. 3. Reg. cap. 17. mulier illa Sareptana tempore famis nihil haberet residui nisi modicū farinæ, dixit Eliæ v. 12. *En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciā illud mihi, & filio meo, & comedamus, & moriamur.* Circa quæ ait D. Aug. l. 12. cont. Faustũ c. 34. *Quia duo ligna crucem faciunt, quare-*

quærebat moritura, unde semper esset victura. Post duorum lignorum collectionem & cibi præparationem mortem læta exspectavit. Duo efficacissima remedia ad obtinendam sanctam mortem sunt devota communio, & amor SS. Crucis.

§. 4. *Si teneamus lignũ crucis, nullum timeamus præcipitiũ.* Cum S. Augustinus tr. 2. in ep. S. Joannis, multas piissimas cogitationes exposuisset de virtutibus S. Crucis, tandem ait, *Raperis in præceps? Tene hoc lignum. Volvit te amor mundi? Tene Christum.* Non explicat se vir sanctus, de quo præcipitio, vel qua abysso loquatur. Si nos velimus intelligere abyssum desperationis, in quam Sathan in agone conatur morientes rapere, & præcipitare, si fortassis subinde nos turbent & volvant tristes cogitationes, & timores, propter instantes angustias mortis; quęso, teneamus SS. Crucẽ, teneamus crucifixũ, neq; erit cur timeam⁹. Cũ baculo crucis, torrentẽ illũ tuto transibimus.

§. 5. *Si pugnemus ex alto crucis, hostes facillime vincemus* Infernalem hydram facillime vincemus. De Christo D. ait Philotheus Constantinop. orat. de cruce. *Lignum crucis, Christum in excelso situm, omnibus spectandum exhibuit. Nam toto terrarum orbe inspectante, tanquam generosus quidam Athleta, adversarias virtutes, sublimis ex ligno pendens, contrivit & disjecit.* Tales athletas oportet esse sodales agoniæ, ut generose pugnent contra dæmonem, mundum & carnem; ut vincamus, præsertim in ultima pugna, pro laureola æternæ gloriæ, crucem teneamus, &c. Idẽ cit. Philotheus. *Per crucem Christus redemit nos, & eripuit nos ex servitute diaboli, & ex morte, & ex condemnatione, & interitu inferni.* Sed cooperatio nostra debet accedere, ut Passio Christi sit efficax, præter alia, amemus crucem, &c.

§. 6. *Crux sedat fluctus tentationum.* Virga sua Moyses aperuit mare rubrum, & sedavit fluctus ejus. Pari ratione, ait D. Aëlredus apud Tilmannũ in Alleg *Verè Crux Christi premit fluctus sæculi; persecutionũ sedat tempestates, & mitigat tentationũ procellas. An nescitis? an non sentitis? Fervet in carne aliquando æstus concupiscentiæ; in mente ira desævit indignationis, jam jamq; prorumpit, & instar maris, quod vehemens exagitat ventus, omnia interiora hominis conturbantur; sed levante supra hoc mare crucem suam Jesu* (id est, cum crucifixi recordamur) *sedantur omnia, omnia conquiescunt.* Multo magis id fiet in agone, &c. (fiat p. applic.)

§. 7. *Crux Christi facit nos animosos.* Postquam Christus in cruce mortuus est, non est cur nimiũ timeamus mortem. Matth. c. 27. ait textus. *Erant autem mulieres ibi multæ à longe, quæ secutæ erant Jesum.* S. Joannes ait cap. 19. *stabant autem juxta crucem JEsu Mater ejus, & Maria Mag. &c.* quomodo hoc? oportet attendere tempora. Dũ opus crucifixionis fervet, dum crux jacet, dum Christus D. necdum obiit; fuerunt plenæ timore, neq; ausæ fuerunt carnifices accedere; ubi crux exaltata fuit, ubi crux stat, in qua Christus pendet mortuus, nullum amplius timent malum. Si in cordibus quoque nostris stet erectum vexillum & signum S. Crucis, non est, cur timeamus in agone infernalem hostem; fugiunt illud potestates tenebrarum.

§. 8. *Alia tres suavissi-* Ex mente Ludovici Blosii, & instructione S. Gertrudis, quã ipsa accepit à Chri-

ma cogitationes. à Christo D. homo aspiciens crucem, & Filium Dei in illa pendentem, debet cogitare illum talia ad nos eloqui: *En vides, quomodo, caussa tui amoris pependerim in cruce nudus, despectus totoque corpore vulneratus, ac per singula membra distentus.* Cum devotione, sodales mei, octavæ huic cogitationi frequenter, & potissimum sub oratione Rosarii insistite. Cogitationem nonam vobis suggerunt verba Christi, quæ sequuntur: *Et adhuc tanto caritatis dulcore cor meum erga te afficitur, ut si saluti tuæ expediret, aliterque æternam felicitatem consequi non posses, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ in cruce toleravi pro toto mundo.* Cui non sapiet dulcissima hæc cogitatio? Cogitemus ergo denique 10. Christus D. Salvator noster, qui adeo nos diligit, si vicissim illum & sacrosanctam ejus Crucem diligamus, in supremo agone nos non deseret.



DECAS IV.

Sive

EXHORTATIO IV.

Pro Mense Aprili, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardescet ignis, Psalmo 38. vers. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DEcem piæ cogitationes, de Contritione & Fiducia in Christum crucifixum; haustæ ex memoria Passionis.

§. 1. *Memoria Passionis suggerit sanctissimos affectus.*

§. 2. *Sive fons est SS. cogitationum.* 1. *De Contritione.*

§. 3. 2. *De propositis, non amplius peccandi*

§. 4. 3. *De desideriis sequendi Christum in tristitia.*

§. 5. 4. *De abrenuntiatione omnium voluptatum.*

§. 6. 5. *De mortificatione mala Concupiscentiæ.*

§. 7. *Suadet vel monet, ut ante Orationem Rosarii similia cogitemus.*

§. 8. *Memoria Passionis fons est aliarum 5 sanctissimarum cogitationum de Fiducia.*

§. 9. *Epilogus.*

Ex

§. 1. *Memoria Passionis suggerit sanctissimos affectus.*

EX suppositione, quod juxta consilium S. Pauli Ap. ad Heb. cap. 12. frequenter recogitemus eum, qui tanta & talia pro nobis sustinuit tormenta; solari nos possumus pulcherrimis sententiis SS. PP. quorundam, plenis cœlesti quodam solatio. V. gr. illa Thomæ de Kempis; *Multa bona confert homini Paßio Christi ad memoriam reducta: & quanto sæpius, & intensius de ea cogitatur, tanto dulcius sapit, & tanto vehementius compungit.* Idem ego assero in præsenti materia, quam jam aliquot exhortationibus tractavi, de aureis praxibus orandi Rosarium 5. SS. vulnerum, pro obtinenda sancta morte; quanto intensius cogitabimus de trihorio crucis, de ejus Agonia, de SS. vulneribus; verbo, de Christo crucifixo, tanto orabimus intensius, & ferventius, & eo cum majori solatio. Illa recogitatio Passionis, fons erit aliarum SS. cogitationum.

§. 2. *Memoria Passionis, fons est.*

Expertæ id fuerunt sanctissimæ Personæ: S. Theresia, cum initio suæ conversionis fixis oculis aspiceret imaginem crucifixi pendentis in oratorio, præsertim rosea vulnera, & ex illis per totum corpus stillantem cruorē, in has mox erupit cogitationes & verba: *Mi JEsu! mea peccata te affixerunt cruci; ego, ingratissima peccatrix fui causa horum dolorum; & præ dolore cor meum non rumpitur. Mi JEsu, utinam millies fuissem mortua antequam te offendi: Doleo mi JEsu! doleo! doleo! de omni offensâ, quæ unquam tibi in me displicuit.* Quantò deinde frequentius, quantò intensius cogitavit de Christo crucifixo, tanto vehementiorem sensit compunctionem: tantò fuit illi suavior intensissimus dolor de peccatis. Memoria vulnerum Christi in seraphico corde seraphicæ illius Virginis fuit fons, ex quo fluxerunt calidissimæ lacrymæ veræ contritionis.

Sanctarū cogitationum de vera contritione.

§. 3. *Sanctarū cogitationum de proposito non amplius peccandi.*

2. B. Catharinæ de Genua, initio conversionis apparuit Christus Dominus totus sanguineus, plenus toto corpore vulneribus, qualis stetit ad columnam, vel qualis pependit in cruce, cum piis querelis, hoc modo se tractari à peccatoribus; spectaculum hoc illos in corde Catharinæ excitavit ignes, ut tota ardens altâ voce exclamarit; *Mi JEsu! ego nunquam amplius te offendam! in æternum non peccabo iterum.* Vulnera, sanguis, Mors Christi, quantò frequentius, quantò intensius de illis cogitatur, tanto vehementius movent homines pios, ut jurent & statuant coram crucifixo, nullo unquam peccato mortali se Deum velle offendere.

§. 4. *De desideriis sequēdi Christū Dominum in tristitia.*

Cum S. Bernhardus piis oculis intuitus fuisset, præcipuè lacrymas, quas trihorio crucis effudit, vehementissimè commotus dixit; *Quid facturus sum? Adhuc eludam, & deludam lacrymas ejus, planè si insanus sum, & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo?* Hic est fructus meditatæ Passionis, quanto cogitatur intensius, tanto vehementius nos movet, ut JEsum sequamur, ut cum illo tristi, simus tristes; ut amaras lacrymas desideremus sine omni desiderio mundanarum voluptatum.

§.5. *De abrenuntiatione omnium voluptatum.*

Ita eadem Catharina cujus superius feci mentionem, coram crucifixo exclamavit: *Sponsus meus pendet in cruce! Vale munde! valete ejus pompa! omnibus abrenuntio?* S. Bernardus dixit. *DEus meus in patibulo pendet, & ego voluptati operam dabo? Non faciam rem hanc.* Passio Christi, quanto intensius cogitatur, tanto suavius sapit cordi, ut de aliis solatiis hujus mundi non cogitet.

§.6. *De mortificatione mala concupiscentia.*

Sed ardet in nobis concupiscentia mala, ut facile non sit ita abrenuntiare mundo & omnibus peccatis. Ita est! nihilominus, *Certum est* (sunt verba Origenis) *quod, ubi mors Christi circumfertur, non potest regnare peccatum. Tanta est vis cruci Christi, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nulla invidia nos superare possit. O sanctas cogitationes!*

§.7. *Suadet vel monet, ut ante Orationem Rosarii, firmiter cogitemus.*

Convenimus sodales amantissimi, ut oremus Rosarium SS. vuln. pro obtinendâ sanctâ morte. Ecce Christus Dominus pendens in cruce! Ecce JEsus in Eucharistia paratus est, ut preces nostras exaudiat; sed quivis prius cogitet in corde suo, Mi JEsu! ego quoque sum qui peccavi; sed doleo! doleo! Peccavi! sed moriar potius, quam ut iterum peccem! absit ut amplius eludam lacrymas, & vulnera; & sanguinem mei Redemptoris. Proinde vale munde! valete voluptates! Nulla imposterum concupiscentia, nulla invidia, &c. me separabit à Christo meo crucifixo.

§. 8. *Memoria Passionis fons est piissimarū cogitationum de fiducia in Christum Dominū.*

Spes & Fiducia in infinita misericordia Christi crucifixi, virtus est ipsi gratissima. Eadem memoria Passionis fons est sanctissimarum de illa cogitationū S. Bernardi. *Agnosco, quā gravia sint vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari! si non fuissent illa ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio, Filius Dei mortuus fuisset, sed eo missus est Filius DEI Altissimi, & occisus est, ut vulneribus meis, pretioso sanguinis sui balsamo mederetur. Non despero.* Ferè cum lacrymis his diebus legi suavissimam cogitationem S. Joannis Chrysostomi, super verba illa Ps. 129. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Quid est, apud Dominum misericordia? Fons & thesaurus, inquit, illic est Clementia perpetuò scaturiens. Ubi autem misericordia, illic etiam redemptio: nec solum redemptio; Verum etiam multa ac copiosa, & immensum pelagus Clementia. Etsi ergo sumus à peccatis proditi, non oportet concidere, nec desperare.* S. Anselmus hoc cogitavit, sive hac cogitatione vehementer se movit ad fiduciam. *Ne desperemus de ejus potentiâ, cujus in morte tanta apparet benevolentia.* Æquè suavis fuit cogitatio S. Augustini in Ps. 148. *Christus pro impiis mortuus est. Qui impiis donavit mortem suam, quid servat justis nisi vitā. Erigat se ergò humana fragilitas, nō desperet, nō se collidat, non se vertat, non aicat: Non ero*, scil. inter electos. Deniq; 10. insinuo tantum cogitationem S. Bern. ser. 61. in Cant. *Quid non boni in petra?* scilicet illa, quæ est Christus crucifix?) *in petra hac securus & firmiter sto; securus ab hoste, fortis à casu, &c. & revera, ubi tuta, firmaq; infirmitas, securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris?*

Tempus

§. 9. *Epilogus.* Tempus tandem est, ut oremus Rosarium SS. vulnerum, cogitemus similia; dicamus corde, ob vulnera peccatorum nostrorum, non desperabimus; sanguis crucifixi est certa medicina; &c. fiat brevis & affectuosa dictarum cogitationum repetitio.



DECAS V.

Sive

EXHORTATIO V.

Pro Mense Majo, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardescet ignis, Psalmo 38. vers. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRosecutio aliorum decem affectuum, de Fiducia peccatoris erga Christum D. fundata in ejus Passione.

§. 1. *Memoria Passionis est thesaurus sanctarum cogitationum.*

§. 2. *Quinque tales cogitationes de crucifixo, quæ magnam in nobis excitant fiduciam.*

§. 3. *Sexta affectuosissima cogitatio, quâ S. Thomas de Villa Nova, erigit peccatorem ad fiduciam.*

§. 4. *Septima, ejusdem Sancti Thomæ.*

§. 5. *Octava Sancti Augustini.*

§. 6. *Nona ex Ps. 35.*

§. 7. *Decima cogitatio plane affectuosa ex Genesi, de Josepho.*

§. 8. *Epilogus.*

§. 1. *Memoria Passionis est thesaurus sanctarum cogitationum.* LAudo SS. Patres, qui Passionem Christi D. vocarunt *thesaurum DEI absconditum, plenitudinem omnium virtutum, & abundantiam omnis sanctitatis.* Addo ego, eandem memoriam, in nobis esse thesaurum, plenitudinem, & abundantiam sanctarum cogitationum; piissimorumque affectuum, quorum exercitio, orationem nostram Rosarii SS. vulnerum, pro obtinenda sancta morte efficere possumus efficacissimam: Non potui nuper in media exhortatione vobis proponere, dulcissimas cogitationes de fiducia figenda in infinita Christi Domini clementia atque misericordia, supersunt aliquæ.

V. gr.

§. 2. *Quinque tales cogitationes, quæ magnam in nobis excitant fiduciam.* V. gr. illa S. Bernardi; *Quis non raperetur ad spem? & ad impetrandi fiduciam, si attenderet in cruce corporis Christi dispositionem. Vide* 1. *Caput inclinatum ad osculandum.* 2. *Brachia extenta ad amplexandum.* 3. *Manus perforatas, ad largiendum.* 4. *latus apertum ad diligendum.* 5. *totius corporis extensionem ad se totum impendendum.* Ave millies, O venerandum caput! mi JEsu in hora mortis nostræ illud erga nos inclina, & amoris osculum nobis præbe, hoc spero ab infinita tua clementia. Avete millies extensa brachia; mi JEsu, in hora mortis nostræ amplectere nos (hoc speret ut supra) Avete millies perforatæ manus, mi JEsu illis largire nobis cœlum. Ave millies dulcissimum cor! Mi JEsu, amamus te, ama nos!

§. 3. *Sexta affectuosissima cogitatio, qua S. Th. de V. N. erigit peccatorē, ad fiduciā.* Videntur hæ fuisse cogitationes, plenæ fiducia S. Thomæ de Villa Nova, cum ita fuit allocutus peccatorem Conc. de Adv. Domini. *Quid times peccator, quid trepidas? quid diffidis? Ecce propter hoc crucifixus est, propter hoc pendet in cruce, propter hoc inter sceleratos moritur, quomodo te damnabit pœnitentem, qui propter hoc moritur ne damneris. Quomodo te abjiciet redeuntem, qui de cœlo venit quærere te.* Estne possibile, ut hæc de infinito amore Christi cogitemus intense, ut non intense quoque cum magna fiducia sub oratione accedamus SS. Crucem, & à Christo Crucifixo petamus sanctam mortem? quomodo nos abjiciet?

§. 4. *Septima cogitatio ejusdem S. Thomæ de V. N.* Placuit S. Thomæ has cogitationes suas adhuc latius explicare, proinde assumit personam magni peccatoris, & ait; *Agnosco Domini viscera, inæstimabilem dignationem intelligo, sed magna sunt peccata mea nimis, & horrenda, & inveterata flagitia; mea pœnitentia verò modica, aut nulla; quomodo potero salvus fieri?* Tum eidem respondet vir sanctus, *exaggera crimina, accumula peccata, aggrava quantum potes, major est illa hostia crucis. Quid miraris, si pro una lacryma, vel suspirio peccata dimittit Deus, cui in cruce talis est reddita satisfactio pro peccatis; dominus retribuit pro nobis, sufficit crux Christi!* Sodales amantissimi, quæ cogitationes ad majorem spem nos rapere possunt, & fiduciam, ut audacter ferventi oratione petamus sanctam mortem.

S. Ber. *Quid tam ad mortē quod non morte Christi solvetur.*

§. 5. *Octava S. Augustini.* Cum ingenti solatio subinde dico cum S. Aug. in Man. 23. *Peccavi peccatum grande, & multorum mihi conscius sum delictorum, nec sic despero; Non possum terreri multitudine delictorum, si mors Domini in mentem meam venerit. Extendit brachia sua in cruce, & extendit manus suas paratus in amplexus peccatorum. Itaque inter brachia salvatoris mei, & vivere volo, & mori cupio. Ibi securus decantabo. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.*


§. 6. *Nona, ex Ps. 35.* Ex mente Hugonis Cardinalis, Regius Psaltes David prævidit extensa brachia Salvatoris in Cruce, cum dixit Ps. 35. 8. *Filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Id est*, ait citatus auctor, *in protectione, quam facit in alis suis, id est, in brachiis suis extensis in Cruce.* O felices meos sodales, qui, cum olim luctandum erit cum

cum morte, sub his alis, sub brachiis & scapulis Crucifixi delitescent! Moriens sodalis dicere poterit cum Psalte Ps. 60. *Deduxiste me* (ad portas æternitatis, nec tamen timeo) *quia factus es spes mea: turris fortitudinis à facie inimici.* Quærit S. Augustinus *Unde factus est spes nostra? quia passus est SS. Ipse enim Christus factus nobis est turris à facie inimici. Cave, ne feriaris à diabolo, fuge ad turrim, ibi stabis munitus & fixus.* Animæ piæ! aspicite rursum SS. pedum Vulnera, huc fugite, hic ridebitis omnes assultus dæmonis! elevate oculos ad Vulnera manuum, ad benedictum latus & Cor Jesu, ad has turres fugite; sub his alis quiescite; & non est cur mortem timeatis.

§. 7. *Decima cogitatio plane affectuosa ex Genesi.* Cum Joseph Gen. 45. tandem dixit fratribus, *Ego sum Joseph*, addit textus, *non poterant respondere fratres, nimio terrore perterriti*; non miror, conscientia statim monuit illos sceleris, quod commiserant in fratrem; itaque præ timore siluerunt. Postquam verò Joseph *fratres suos fuit osculatus, & ploravit super singulos, post quæ ausi sunt loqui ad eum.* Breviter mysterium exponit Hug. Card. *ante Incarnationem homines non fuerunt ausi loqui ad Deum; sed postquam factus est homo, securum habent accessum ad eum.*

Sodales amantissimi, Christus Crucifixus est frater noster Joseph; ecce offert osculum reconciliationis! loquamur ad eum cum magna fiducia. Amplectitur nos, super singulos ploravit, loquamur ad eum, &c. (fiat pulcher affectus.) Pulchram oratiunculam docuit nos S. Catharina Senensis cum diabolus conaretur illam in desperationis abyssum præcipitare, coram crucifixo ruit in genua & sic oravit. *Ego aperte creatori meo confiteor, me male vixisse N. N. veruntamen latitabo in vulneribus Domini mei JEsu Christi; & omnium iniquitatum mearum maculas pretioso sanguine ejus abluam, atque cum sancto desiderio, jugiter gaudebo in ipso Creatore & redemptore meo, neque desinam cum propheta pro salute animæ meæ haurire in gaudio aquas de fontibus, de vulneribus salvatoris mei.* His verbis, diabolus victus statim cedere debuit. §. 8. *Epilogus.*







DECAS VI.
Sive
EXHORTATIO VI.
Pro mense Septembri, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardescet ignis, Psal. 38. vers. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DEcem aureæ cogitationes, sive sententiæ SS. PP. de hoc Elogio S. Vulnerum salvatoris, quod sint locus refugii, & fortitudo nostra.

§. 1. *Visio, plena solatio pro sodalibus Agoniæ.*
§. 2. *Decem piæ cogitationes de dicto objecto, prima sponsi ad sponsam. S. Vulnera sunt foramina petræ, in quibus columba tuta latet.*
§. 3. *Altera Davidis sunt altissimum refugium.*
§. 4. *Tertia S. Augustini. Recordatio Passionis sedat omnes tentationes.*
§. 5. *Quarta, magni peccatoris conversi; Servus Crucifixi non timet Diabolum.*
§. 6. *Quinta, Jeremiæ. Passio Christi est scutum cordis.*
§. 7. *Quinque alia cogitationes. Hug. Card. S. Anselmi. S. Bernardi. S. Æmilii M. S. Patrocii M.*
§. 8. *Epilogus.*

§. 1. Visio, plena solatio, pro sodalibus Agoniæ.

BEato Eustachio piissimo Religioso ex ordine Cistereiensium oranti in choro, visa fuit B. Virgo, quæ miræ pulchritudinis coronam, per auream catenam super præsentes Religiosos demisit, cum lucidissima gemma, cui erat inscriptum: *O Clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria!* E Mariæ nomine evibrati fuerunt radii, in queis B. Eustachius legere potuit omnium præsentium nomina, ajente Virgine, omnes isti mecum erunt in æternum. O felices sodales Congregationis Christi in cruce Agonizantis, Rosea ejus Vulnera, sunt lucidissimæ tales gemmæ, quibus nos toties inscribimus piissima hæc verba, *O bone JEsu! O bone Jesu! O dulcis JEsu!* Ipse verò bonus JEsus iisdem gemmis suo sanguine inscripsit nomina nostra; ut audacter audeam asserere, omnes pii

pii sodales hujus congregationis, erunt cum Christo D. in æternum. Ut de tanta gratia obtinenda simus certiores, hactenus vobis suggessi pretiosissimas cogitationes, pleraſq; desumptas ex meditatione & recordatione Passionis Christi, ad excitandum ignem devotionis sub oratione Rosarii; modo vobis affero pulcherrimam Decadem similium affectuum; præcipuè de hoc objecto, quod vulnera crucifixi sint locus tutissimus in tentationibus, & potissimum in hora mortis. In meditatione hujus puncti, nunquam mihi desunt suaves cogitationes.

§. 2. Decem pia cogitationes de hoc objecto Vulnera crucifixi sunt locus refugii. & fortitudo Christiani. Sponsi ad sponsam. SS. Vulnera sunt foramina petra, in quibus tuta latet columba.

Cogito enim 1. bene sponsum dixisse ad sponsam Cant. 2. v. 10. *Surge amica mea & veni, Columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Ob expositionem S. Greg. M. super hæc verba. *Per foramina petræ vulnera manuum & pedum Christi in Cruce pendentis libenter intellexerim; cavernam vero maceriæ, vulnus lateris, quod lancea factum est.* S. Bernardus laudat hunc sensum, & ait; *Rectè omnino; nam petra Christus, foramina petræ vulnera Christi. In his se columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem.* Ut proinde sodales meos alloqui possim verbis Isaiæ c 48. 28. *Relinquite civitates, & habitate in petra, habitatores Moab; & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Non est opus, ut latius exponam suavissimas cogitationes, quibus tales columbæ habitantes in Vulneribus Salvatoris ab illo solent pasci.

§. 3. Altera Davidis

Regius Psaltes 2. cogitavit, & pronuntiavit Ps. 90. in illa petra, nobis positum *esse Altissimum refugium.* *Nempe* (ait S. Bernardus) *ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujuscunque modi necessitatem, aperta nobis est urbs confugii. Sinus Matris expansus est; Parata sunt foramina petræ; Patent viscera misericordiæ DEI nostri.* Ps. 103. 16. hoc refugium; hanc petrã, hanc urbem, vocat *domum, & excelsum montem.* Ps. 108. vocat *tectum*, sub quo illi tam fuit benè, ut dixerit, *factus sum sicut passer solitarius in tecto.* O passerculi! O columbæ! O anheli & sitibundi cervi, vos intelligo, amantissimi sodales! confugite sanctissimis cogitationibus ad Vulnera Crucifixi, in his locis refugii, in sinu B. V. in foraminibus petræ, in visceribus JEsu, in hac domo, in hoc monte, sub hoc tecto, in patentibus vulneribus ad introeundum, etiam in umbra mortis nihil timebris.

sunt altissimum refugium.

§. 4. Tertia S. Augustini Recordatio Vulnerum sedat omnes tentationes.

3. Ex his psalmis videtur S. Aug. hausisse has piissimas cogitationes, in Matt. c. 22. *Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad Vulnera Christi; cũ me premit Caro mea, recordatione vulnerum Salvatoris mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione Vulnerum horum extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi, in illis dormio securus, & requiesco intrepidus.* Contra sodales, qui similibus se muniunt cogitationibus, frustra furit Sathan.

§. 5. Quinta, magni pec-

Cum Seraphicus S. Franciscus magnum convertisset peccatorẽ, ad tantam pœnitentiam, ut videretur alter

Petrus


cateris cõversi. Servus Crucifixi non timet diabolum. Petrus vel altera Magdalena, stitit se illi rugiens leo, quasi immani rictu momento illum vellet deglutire cum horribili rugitu, sed advertit pœnitens esse dæmonem, & hæc 4. cogitans illi dixit, Minari, furere, rugire potes, quantum lubet, ego te non amplius timeo: virtute Passionis & sanguinis filii Dei, non sum amplius tuum mancipium, sed servus JEsu Crucifixi! momento monstrum disparuit. Ita sodales mei, veniet hora agonis, qua idem terribilis leo nobis insidiabitur, sed cogitate sæpe de Passione Christi D. Conemur esse servi JEsu Crucifixi, pii sodales, nec est, quod timeamus.

§.6. Quinta, Jeremiæ S. Vulnera sunt scutum cordis. 5. Etenim cogitare possumus eandem Passionem esse fortissimum scutum, de quo prædixit Jeremias Thren. 3. v. 65. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Hugo Card. *Passio Domini est scutum, in quo possumus omnia tela nequissimi ignea extinguere*: In agone alicujus hominis, angustiari maximè solet cor; contra hoc irruit mors, hoc circumdat, illud premit, &c. sed cordis talis scutum, est labor, Passio, & mors JEsu.

§.7. Quinque alia cogitationes 6. Hoc scutum nobis offert S. Petrus ep. 1. cap. 4. 1. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Hugo Card. *Bene dicit, armamini, quia memoria vel cogitatio Passionis Christi maxima est fortitudo contra diabolum.* *Hugonis Card.* 7. Piissima cogitatione idem nobis suadet S. Anselmus, *ut ne fatigemini animis vestris deficientes* (præsertim olim in agone) *& licet corpore deficiatis, ut mente tamen validi, & insuperabiles perduretis, Recogitate eum*, qui, &c. ad Heb. 12. 8. Et iterum S. Bernhardus ser. 62. in Cant. Ut animus noster erigatur, & exemplo Christi D. reddatur fortis ad tolerandam mortem, oculi nostri sustolli debent in altum ad intuendum S. Vulnera. 9. De S. Æmilio M. ait Simeon Metaph inter tormenta, tota mente in Christi pro nobis crucifixi imaginem conversus dixit, *Domine ad adjuvandum me festina.* 10 S. Patrocius M. cum illi prælegeretur sententia mortis, dixit ad tyrannum: *Quid tu mihi mortem minitaris? Christus JEsus suo nos sanguine, de interitu & morte aterna liberavit. Sive igitur vivimus, sive morimur, Domini sumus, & dignum est ut pro ejus amore patiamur.*

§. 8. Epilogus. Ex dictis fiat brevis, sed affectuosus Epilogus, quem tibi suggerent sanctissimæ de Passione cogitationes.

***



DECAS



DECAS VII.

Sive

EXHORTATIO VII.

Pro Mense Julio, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardescet ignis, Psalmo 38. vers. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DEcem pretiosæ cogitationes, de devotione & lacrymarum dulcedine, quam animæ sanctæ reperiunt in Vulneribus Salvatoris.

§. 1. *Si JEsus Crucifixus est in cordibus nostris, non est cur mortem pertimescamus. Est nobiscum per sanctas cogitationes.*

§. 2. *Prima S. Bonaventuræ. Fervor devotionis nutritur memoria Passionis.*

§. 3. *Altera S. Seraphici Francisci: sine luctu devotionis non potuit cogitare mortem Christi.*

§. 4. *Tertia cogitatio Thomæ de Kempis, de ingenti desiderio devotæ compassionis.*

§. 5. *Quarta S. Bernardi, qua à nobis petit, ut morienti JEsu demus lacrymas.*

§. 6. *Quinta, qua Christus Cr. à S. Ambrosio confertur cum grano Sinapis.*

§. 7. *Sexta Blosii, de dulcedine harum lacrymarum.*

§. 8. *Septima cogitatio S. Bernardi quærit mel devotionis in petra sive vulneribus Salvatoris. Additur Octava.*

§. 9. *Binæ aliæ dulcissimæ cogitationes S. Aug. & Sponsæ.*

§. 1. *Si Iesus crucifixus sit in cordibus nostris, non est cur mortem timeamus*

CUm Matth. 8. dormiente Christo Domino in navicula ingens fuit exorta tempestas, territi discipuli exclamarunt, *Domine, salva nos, perimus.* Hunc pavorem Apostolorum admiratus Origenes illis ait. *Vita vobiscum est, & de morte solliciti estis? Dominum Salvatorem habetis vobiscũ, & periculum timetis?* Veniet hora, sodales mei, qua navicula vitæ nostræ inter fluctus terribilis agoniæ, & insultus mortis horrendos, jactabitur, ideo toties exclamamus, O bone JEsu!

Est autem nobiscum per S. cogitationes.

Jesu! per tuam mortem tum salva nos! benefacimus; præter orationem moneo meos Auditores, ut per sanctas cogitationes, per ardentes affectus, fidei, spei, caritatis, vita sive Jesus crucifixus sit nobiscum, & non est cur mortem, vel periculum æternæ damnationis pertimescamus. Hæc exhortatio vobis suggeret decem piissimas cogitationes de devotione, quæ requiritur ad ferventem orationem.

§. 2. 1. S. Bonaventura. Fervor devotionis nutritur memoria Passionis.

Primam inveni apud S. Bonaventuram de perfect. vitæ cap. 16. *Devotionis fervor, per frequentem Passionis Christi memoriam nutritur & conservatur in homine: ideo semper oculis cordis sui, Christum in cruce tanquam morientem videat, qui devotionem in se vult conservare inexstinguibilem, &c.* Et hoc est, quod dicit Propheta Isaias. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris*; ac si diceret, *Quicunq; desiderat aquas gratiarum, aquas lacrymarum, istas hauriat de fontibus Salvatoris, scilicet de vulneribus Iesu Christi*: Experiamur hac hora congregationis sodales mei, probemus, an verum dixerint S. Bonaventura & Isaias; cum mox orabimus Rosarium, aspiciamus Iesum in cruce, quasi morientem, inter angustias mortis comprehensum; testabuntur multi, experientia docti, non posse cogitari mortem Christi, sine sensu devotionis.

§. 3. Altera Seraphici S. Francisci fine gemitu & planctu devotio-

Ex S. Seraphico Fr. cum inter suspiria, singultus & lacrymas altum exclamaret, quæsivit aliquis nobilis, quid fleret, & respondit, non pro rebus temporalibus gemo, *sed pro doloribus Domini mei doleo, & pro Angustia Domini mei Iesu angor & gemo!* si sub oratione Rosarii pro sancta morte desideramus similes gemitus, si salutarem planctum, memores simus angustiæ, quam Christus D. triborio crucis sustinuit, non deerunt pii gemitus.

nis, non potuit cogitare mortem Christi.

§. 4. 3. Cogitatio Thomæ de Kempis, de ingenti desiderio devota compassionis.

Thomas de Kempis de Passione Domini, tantam desideravit devotionem, tantam copiam lacrymarũ, tantam compassionem, ut auditus fuerit dicere, *Recedite à me omnes creatura, nolite incumbere ut consolemini me, recedite, dimittite me solum, ut plãgam paululum dilectum meum pro me crucifixum; ut illum plangam affectuosis luctibus.* Si nobis quoq; hæc mens est plangere mortem Iesu crucifixi, affectuosi luctus, & tenera devotio, atque compassio, non deerunt.

§. 5. 4. S. Bernardi, quæ à nobis petit, ut morienti Iesu demus lacrymas.

Affectuosa fuit petitio S. Bernardi ad animas pias, cum dixit ser. 14. de vite. *Date lacrymarum flumina in tantis vinculis morienti. Vocate & videte, quam amara, quam turpi morte condemnetur!* Ipse ex infinito amore omnem suum sanguinem pro nobis effudit; pro illo à nobis non petit nisi lacrymas cordis? Ah! Filiæ Sion, date lacrymas morienti Iesu! sitit; lachrymis sedabimus ejus sitim. Date lacrymas; sunt gemmæ, quibus emere possumus sanctam mortem. Date lacrymas; sunt pretiosum unguentum & balsamum, quo Magdalena inunxit sanctissima ejus vulnera, &c.

§. 6. 5. Qua Christus crucifixus à S. Ambrosio confertur cũ grano sinapis.

Ut lacrymæ illæ calidæ sint, iterum meminerimus crucifixi; *Granum sinapis cum teritur, flammeum saporem exhalat. (S. Ambr.) & tanto fervore caloris accenditur, qui gustat; ut mirũ sit in tam parvis granis tantum ignem à natura fuisse inclusum*: cum succum

ejus


ejus sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur; *ad lacrymas provocamur.* Granum sinapis est Christus crucifixus (potest fieri propria applicatio.) unde in parvo corde subinde tantus ignis, &c. nisi à JEsu crucifixo?

§. 7. 6. *Blosii de dulcedine talium lacrymarum.* Cum lacrymarum harum dulcedinem, in quam illarum amaritudo converti solet, considero, occurrunt mihi suavissimæ cogitationes & dulcissima verba, Blosii in mon. Spirit. quibus de S. Gertrude, Brigitta, S. Mechtilde, aliisque amatricibus Christi crucifixi ait. *Nam Passionem Domini JEsu (quæ licet amarissima acerbissimaq; fuerit, tota tamen dulcedine caritatis plena est,) adeo profunde illarum animabus Spir. S. infixerat, & tam ardenti suaviq; affectu illam ruminare solebant, ut esset ejus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.* Solent aliqui quærere, Quid dulcius melle? respondeo, dulciores sunt illæ lacrymæ, quæ ex consideratione Passionis sub ard. cogitatione effluunt ex contrito corde, & quod Christo crucifixo compatitur.

§. 8. 7. *Cogitatio S. Bernardi quærit mel devotionis in vulneribus Salvatoris. Additur Octava.* Si cogitemus de hoc melle, simul de petra cogitari debemus, ex qua illud sugere possumus: ait enim David, Ps. 80. *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos.* S. Bern. serm. 61. in Cant. *Foderunt manus ejus, latusque lancea perforaverunt: id est, gustare & videre quoniam suavis est Dominus.* Id est, cogitare quinque sanctissima vulnera, est sugere mel devotionis; & addit 8. cogitationem æquè suavem: *Clavis referans, clavus penetrans, factus est mihi ut videam voluptatem Domini.* Hoc agite Sodales, probate, an non etiam Ros. 5. Vuln. sit talis clavis.

§. 9. *Bina alia dulcissima cogitationes S. Aug. & Sponsæ.* Sancta quoque fuit cogitatio nona S. Augustini in Marc. cap. 21. qua hæc duo conjunxit. *Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus JEsu Christi Salvatoris nostri: magna quoque multitudo dulcedinis.* Forte S. Augustin. conjunctionem hanc advertit ex modo loquendi sponsæ, sive ex suavissimis ejus cogitationibus de dilecto sponso, dum Cant. c. 1. v. 12. illum vocat, *fasciculum myrrhæ, Fasciculus myrrhæ*; & paulo post v. 14. Botrum Cypri; *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* S. Bern. ser. de vite cap. 4. Ille qui modo fuerat fasciculus myrrhæ, id est, qui mentem sponsæ passionum suarum amaritudinibus amari caverat, subito Botrus Cypri, continens in se vinum jucunditatis & lætitiæ, &c. fac prop.

Epilogum.



DECAS



DECAS VIII.

Sive

EXHORTATIO VIII.

Pro mense Augusto, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardescet ignis, Psal. 38. vers. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DEcem pretiosæ cogitationes de vulneribus & sanguine JEsu crucifixi.

§. 1. *Visio S. Gertrudis, in qua vidit, quomodo à nobis ornentur vulnera Christi, suggerit auctori primam pretiosam cogitationem hujus decadis.*

§. 2. *Suavissimæ cogitationes S. Cathar. Senensis de sanguine Christi.*

§. 3. *Christus D. invitat S. Mechtildem ad S. sua Vulnera: quæ invitatio alias suggerit pretiosas cogitationes.*

§. 4. *Visio facta B. Alquino, radix pretiosarum cogitationum.*

§. 5. *Affectuosissima promissio à Christo D. facta Beatæ Mechtildi.*

§. 6. *Vulnera Christi sunt satisfactio pro nostris peccatis. Hæc maxima radix est, quinque pretiosarum cogitationum.*

§. 7. *Epilogus.*

§. 1. *Visio S. Gertrudis in qua vidit, quomodo à nobis ornentur vulnera Crucifixi, suggerit auctori pretiosam cogitationem.*

PRimam pretiosam cogitationem, ex decem, quas hac exhortatione meis sodalibus proponam, mihi suggerit, jucundissimum de cœlo spectaculum, in quo video primum S. Gertrudem, magna devotione salutantẽ Vulnera Crucifixi, cum pedum, manuum, laterisque, dulcissimis osculis, & sanctissima hac cogitatione, vel imaginatione, quasi intueretur benedicta vulnera stillantia & fluentia recenti, roseo, calentique sanguine! O sanctam cogitationem, quæ in corde alicujus amatoris & sodalis JEsu Crucifixi facillimè & suaviter incendit ignem devotionis, præsertim sub oratione & suspiriis, quæ diriguntur ad Vulnera Crucifixi! Et ut ostenderet Christus D. valde sibi placere hanc devotionem salutandi & osculandi sua vulnera, in jucundissimo illo spectaculo, apparuit toto corpore saucius & vulneratus S. Gertrudi, sed guttæ

guttæ decurrentis sanguinis mox mutatæ fuerunt in aureos & gemmeos flores, in lucidissima serta & coronulas, quibus S. Vulnera instar solis radiarunt; tum Virgini dixit: *Vide filia, quomodo affectu & devotione tua me ornaveris. Adero tibi in hora mortis, & his vulneribus meis lavabo te, submergamque peccata tua, imo & omnium eorum, qui simili affectu vulnera mea salutaverint.* Eja sodales, JEsu crucifixi, ardenter, ut soletis, iterum recitate Rosariũ SS. Vulnerum, omnia verba erunt floridæ corollæ, quibus eadem coronabimus. Suggeram vobis interim alias novem pretiosas cogitationes, quæ in nobis ignem & desiderium hujus devotionis & ferventis orationis excitare poterunt.

§. 2. *Suavissima cogitationes S. Catharinæ Senensis de sanguine Christi.*

Piissimæ cogitationes S. Catharinæ Senensis in pio colloquio cum suo Confessario Raymundo aliquando in hæc verba proruperunt; *Submerge te in sanguine crucifixi; immerge te huic sanguini, satia te hoc sanguine, inebria te sanguine, vesti te hoc sanguine. dole super te in hoc sanguine, recrea te in sanguine, cresce & confortare in sanguine*; hic lava te, in hoc calido balneo accende tuam devotionem & amorem erga Deum tuum. O ignea desideria! O pretiosas cogitationes, quibus si & nos submergamus nos in hoc sanguine (fac pulchr. repetitionem) dum mox recitabimus Rosarium, eædem cogitationes, & affectus & desideria, convertentur in flores, quibus ornabimus vulnera Crucifixi. Prima decas, erit corona pro sinistro pede (sic de reliquis) fiat suavis inductio.

§. 3. Non dubito placituras devotioni vestræ pro tertio grano præsentis decadis SSmarum cogitationum, cogitationes S. Mechtildis. Cum immani dolore capitis cruciaretur, pro solatio Christus D. illam invitavit ad SS. sua Vulnera; & quia piissima Virgo, data illi à Christo D. electione, in quo abscondi vellet, nullum eligere voluit, ipse illam invitavit ad sanguineũ Vulnus lateris, quod piis cogitationibus ingressa, statim à doloribus fuit liberata. Idem nos modo faciamus sub oratione Rosarii, eo intendamus omnes vires & nervos nostræ devotionis, ut per piissimas cogitationes, decas quinta sit pulcherrima corona, ut illa præsertim exornemus S. Vulnus lateris. In agone, cum nobis inter aculeos conscientiæ, inter dolores agonizantis corporis erit male, ibi inveniemus quietem & solatium.

Christus D. invitat S. Mechtildē ad sua vulnera, Invitatio hac caussa pretiosa ũ cogitationum.

§. 4. *Visio facta B. Alquino, radix devotissimarum cogitationum.*

B. Alquino Cisterciensi, in agone de commissis peccatis valde anxio, apparuit Christus D. eique ostendit vulnera sua recenti sanguine manantia: cum vir piissimus cum magno tremore & timore illa contemplaretur, animavit illum Christus D. & invitavit ad pia oscula illorum vulnerum, in quibus, suo pretioso sanguine deletum esset chirographum omnium peccatorum, quę tota vita commisisset: sic plenus fiducia animam in amplexu crucifixi exspiravit. Hæc puto, esse desideria & sanctas cogitationes meorum sodalium, ut in iisdem vulneribus, in eodem pretioso sanpuine reperiant cor mundum, & remissionem omniũ peccatorum; puto, commune omnium esse votum, mori aliquando inter amplexus crucis!

agite, talia cogitate, non dubito fore, ut hæ cogitationes, hæc desideria sub oratione excitent ignem nostræ devotionis.

§. 5. *Affectuosissima promissio facta à Christo D. B. Mechtildi*


Christus D. exaudiet desideria nostra. Sanctæ enim Mechtildi fassus fuit (erit hæc revelatio, occasio quintæ pretiosæ cogitationis in hac decade) fassus, inquam, illi fuit Christus D. sua Vulnera patere, ut olim patuerunt in cruce, & fore ut semper pateant. Addit caussam, ut ad patrem pro nobis clament petantque pro peccatoribus misericordiam. Considerate hanc Christi D. bonitatem & & caritatem, ex hac consideratione in cordibus vestris veluti ex fonte ebullient rivuli SS. cogitationum.

§. 6. *Vulnera Christi sunt satisfactio pro nostris peccatis. Hæc maxima radix est quinque pretiosarũ cogitationum.*

Qui serio cogitat & statuit, ut Deo satisfaciat, pro commissis peccatis, Patri cœlesti (S. Gertrudi hoc suasit ipsemet Christus D.) præsentet Vulnera Christi; ejus ira hoc sacrificio statim placatur & pœnitens peccator obtinet gratiam, ut per pœnitentiam ante mortem pro suis satisfaciat peccatis. Nam, (jam advertite quinque alias devotissimas cogitationes S. Ambrosii.) Prima vel sexta est, hæc: Os Christi, felle & aceto in *Cruce pro nobis potatũ, os nostrum est, per quod patri loquimur, atque iram ejus placamus.* Secundam vel septimam cogitationẽ his verbis exprimit S. Ambr. *Cor ejus, lancea transfixum, cor nostrum est, per quod Patrem amamus.* Tertia vel octava; *Oculi ejus, sanguineis lacrymis flentes, oculi nostri sunt, per quos Patrem videmus.* Quarta vel nona; *Manus ejus clavis confossæ, manus nostræ sunt, per quas nos Patri offerimus.* Ultimam cogitationem hujus decadis, attentis quæso auribus, & tenerrimo cordis effectu excipite. *Pedes ejus vulnerati, pedes nostri sunt, per quos ut Filii prodigi, redimus ad Patrem, ut totus Salvator, quantus est, & quidquid in eo est, nobis patrocinetur.* Has cogitationes pulchra & pia phrasi sic possumus variare. Facies Christi, sanguine, sputis, & lacrymis cooperta, scutum nostrum est, sub quo tuti delitescimus. Lancea, quæ pectus ejus aperuit, nostra est, ut cum Longino eadem viam ad cor JEsu nobis aperiamus Clavi, quibus Christus cruci affixus est, nostræ sagittæ sunt, ad vulnerandum cor sponsi. Guttæ pretiosi sanguinis crucifixi, gemmæ nostrę sunt, quibus sanctam mortem & beatam æternitatem emere possumus. Spinæ infixæ sanctissimo vertici, aculei nostri sunt, quibus caput infernalis draconis configimus; ex iisdem spinis pro nobis germinant rosæ cœlestis gloriæ.

Sodales Amantissimi, si hæ sint pretiosæ vestræ cogitationes, ut puto; si cum his affectibus orabitis Rosarium SS. quinque Vulnerum, hac intentione, ut illa exornetis, &c. Ego nomine Christi, hæc promitto, & spondeo; aderit nobis in hora mortis, in SS. suis Vulneribus lavabit nos; submerget in sanguine suo omnia peccata nostra, &c. Sic sanctè moriemur. §. 7. *Epilogus.*

DECAS



DECAS IX.

Sive

EXHORTATIO IX.

Pro mense Septembri, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardescet ignis, Psal. 38. vers. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DEcem pretiosæ cogitationes, de hoc præsertim fructu devotionis erga Vulnera Crucifixi, quod in agone cum magno solatio, in illis erimus tuti contra metus conscientiæ, & tentationes diaboli.

§. 1. *JEsus Crucifixus est Paradisus, ex cujus floribus colligi potest mel SS. cogitationum.*

§. 2. *Quinque pretiosas cogitationes, cum totidem osculis quinque SS. Vulnerum, B. Virgo suggessit S. Mathildi.*

§. 3. *Cogitatio 6. Si in agone nostro contingat, Christum D. Patri pro nobis ostendere vulnera sua; non est, cur timeamus.*

§. 4. *Cogitatio 7. Vulnera Christi sunt fossa humus (ex Isaia) in qua absconditi latemus contra diabolum.*

§. 5. *Cogitatio 8. de scuto radiante quinque cicatricibus vulnerum.*

§. 6. *Cogitatio 9. S. Augustini de quinque vulneribus.*

§. 7. 10. *Pretiosam cogitationem nobis suggerit pium factum S. Mechtildis.*

§. 1. IESVS Crucifixus est Paradisus, ex cujus floribus colligi potest mel SS. cogitationū.

VErissimè dixit S. Bernardus ser. 1. in Nat. Domini, *Paradisum habemus multo meliorem & longe delectabiliorem, quam primi parentes habuerunt. Et Paradisus noster Christus Dominus est.* Dicam ego in præsenti materia mearum exhortationum, JESUS noster Crucifixus; in hoc Paradiso, per varias rosas, & omnis generis flores sanctissimarum cogitationum, hactenus instar apiculæ, collegi dulcissimum mel, quo conatus fui devotionem vestram sub oratione Rosarii nostri,

pro obtinenda sancta morte, nutrire & conservare. Eadem est intentio hujus exhortationis, itaque & vos cupio esse apiculas, quas invito ad quinque Rosas, quinq; SS. Vulnerũ ad sugendũ inde mel SS. cogitationũ, causas ob quas id facio, mox intelligetis.

§. 2. *Quinque pretiosas cogitationes, cum quinque osculis vulnerũ, B. Virgo suggerit S. Mathildi*

Quinque affectuosas cogitationes nobis suggerit, Visio S. Mathildis, in qua B. Virgo illi apparens cum Filio suo de cruce deposito. In sinu, dixit, *Filia, accedens oscülare salutifera vulnera dilectissimi Filii mei, quæ pro tuo amore suscepit, & in osculo gratias age.* 1. Osculare sanguineum latus, & cor Filii mei, & age illi gratias, pro omnibus beneficiis, quæ ex illo fonte in omnes Electos defluxerunt & defluent. 2. Osculare plagam pedis sinistri; hic invenies remissionem omniũ peccatorum. Sodales amantissimi, sequamur consilium nostræ Matris, osculemur millies hoc vulnus, ut olim in agone Christus D. Judex noster, sub tali osculo, dicat nobis; remittuntur vobis peccata vestra. 3. Osculare vulnus pedis dexteri, & pete, ut te salvet Filius meus. 4. Osculare manum dexteram, ut te juvet. 5. sub osculo sinistræ, age gratias, pro omnibus gratiis, & pete hanc novam gratiam ut semper, sed præcipuè in agone tuo, in hoc vulnere tutum locum refugii, tibi præbeat contra diabolum, qui tum maximè insidiabitur animæ tuæ.

§. 3. *Si in agone nostro contingat Christum D. Patri pro nobis ostendere vulnera sua, non est cur timeamus.*

Ob has gratias, & fructus teneræ devotionis erga vulnera Salvatoris, puto toties exclamasse S. Getrudem; (Utinam hæc quoque sit sexta nostra pretiosa cogitatio & frequens!) *Gloria sit SS. Trinitati, per rosea illa vulnera JEsu mei Crucifixi.* Gloria sit eidem crucifixo, *qui adeo salutem nostram desiderat, & ob ia Patri latus ac vulnera repræsentat, ut nostri misereatur.* Si oratione nostra, & sanctis sub illa cogitationibus, hanc gratiam obtineamus, ut in ultimo agone hoc faciat piissimus JEsus, nunquid dicere poterimus cum S. Paulo ad Rom. 8. v. 33. *Quis accusabit adversus electos DEI? DEus est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus JEsus qui mortuus est, imo qui resurrexit, qui est ad dexteram DEI* (ubi Patri pro nobis exhibet sua vulnera) *qui etiam interpellat pro nobis.*

§. 4 *Vulnera Christi sunt fossa humus in qua absconditi latemus contra diabolum.*

Itaque 7. Sancta cogitatione imitemur illos, de quibus ait Dionysius Carthus. super v. 10. c. 2. Is. *Abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini. Aliqui Christiani cernentes se undique a diabolo, mundo, & Carne tentari, in fossa humo, id est in Christi vulneribus & in Dominicæ Passionis memoria, salubriter se occultant, & in proprio humiliationis profundo se celant; atque in tantum parvi pendunt, & quasi nihil reputant, quod a dæmonibus nequeunt tangi.* O nos felices, si in supremo agone, mors, diabol⁹, nos invenerint hic absconditos. Solatio plena est explicatio S. Bernardi super eadem verba Isa. ser. 62. in Can. *Si intelleximus fossam humum illam, quæ ait; foderunt manus meas, & pedes meos; non erit ambigendũ de salute in ea citius adipiscenda, animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur.* Ibi erimus absconditi à facie furoris & & timoris Domini. Non tanget nos diabolus, vincemus illum infallibiliter

§. 5.


Alphonso Regi Lusitaniæ, anno 1039.


Cogitatio 8. de scuto radiante cicatricibus 5. SS. vulnerum. 1039. moturo in hostem, Christus D. de cœlo porrexit scutum, insigne & radians, quinque cicatricibus S. Vulnerum, cujus conspectu territus hostis, mox terga vertit. Vicit, triumphavit Alphonsus! In nobilissimæ victoriæ memoriam adhuc hodie in insignibus illius Regni videmus quinque vulnera Salvatoris. Sodales dilectissimi, dum sani simus, 8. sanctis cogitationibus & desideriis induamus hoc scutum, his insignibus nos armemus, si in agone sub illo latuerimus, nihil vires Sathanæ nobis nocere poterunt. Cum Davide arripiamus baculum S. Crucis; de sanguineo torrente Dominicæ Passionis, seligamus nobis quinq; limpidissimos lapides, & audacter procedamus; vincimus infernalem Goliath.

§. 6. Cogitatio 9. S. Augustini de quinque vulneribus. Hoc scuto armati, suavissimè & cum solatio, 9. cogitare & suspirare possumus cum S. Aug. in medit. c. 6. *Aspice pie Pater, piissimum Filium, pro me tam impia passum! Cerne manus innoxias, pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrarunt manus meæ! Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renova me sacro fonte, quem inde credo fluxisse; Vide immaculata vestigia, diris confixa clavis, & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere omnes vias iniquitatis. Vide Redemptoris supplicium, & Redempti dimitte delictum.*

§. 7. 10. Pretiosam cogitationē nobis suggerit pium factum S. Mechtildis. Ea denique 10. per pretiosas cogitationes, & sancta desideria faciamus, quod fecit S. Mechtildis cum in visione quadam vidit & audivit coram Justitia D. à creaturis & ipsis S. Angelis acriter accusari de tepore devotionis; ipsa amplexata Christum in cruce pendentem, ipsi obtulit & præsentavit, vulnera sanguinea, mortem, crucem, & merita totius Passionis; pro sua superbia obtulit Christi humilitatem, &c. & mox ex ore Christi audivit sententiam absolutionis de omnibus peccatis. Dubitabimusne de Christo D. non præstiturum nobis eandem gratiam, si cum S. Mechtilde, &c. De Christo D. inquam in hoc dubitabimus? qui adeo nos dilexit, &c. Philo Hebræus refert generosum militem, nudato pectore, pleno vulneribus dixisse in Senatu: *Hæc ostendunt amorem patriæ.* An non videtis Vulnera in pedibus vestri Salvatoris? hæc ostendunt ejus amorem, &c. (fiat ex his verbis affectuosus Epilogus, & adhortatio ut per Vulnera Salvatoris speremus æternam salutem.)

* * *





DECAS X.

Sive

EXHORTATIO X.

Pro Mense Octobri, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardescet ignis, Psalmo 38. vers. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

SAnctæ Cogitationes de pretioso sanguine Christi, faciunt exardescere ignem devotionis sub oratione Rosarii.

§. 1. *Amor Auctoris erga suos sodales, desiderat illis proponere sanctissimas cogitationes de sanguine Christi.*

§. 2. *Cogitatio 1. sanguis Christi est catena, ligans diabolum, ne nobis noceat in agone.*

§. 3. *Rosarium quinque S. Vulnerum, quomodo sit funiculus coccineus, secunda de hoc cogitatio, & 3. 4.*

§. 4. *Cogitatio 5. de sanguine Agni, & sanguine Christi D.*

§. 5. *Cogitatio 6. de vi illius sanguinis contra dæmones.*

§. 6. *Quatuor alia sanctæ Cogitationes de sanguine Crucifixi.*

§. 1. *Amor auctoris erga suos sodales, desiderat illis proponere hac cogitationes de sanguine Christi.*

PIissime & verissime dixit S. Bonav. instim. d. am. *Cum homo considerat, illa intima pietatis viscera Domini nostri JEsu Christi quæ super nos effudit in cruce, taliter moriendo pro nobis, dilatatur cor ejus ad sanguine Christi redemtum. Et ex hoc præcipuè ad proximum cor suum aperit, quia videt Dominum pro omnibus crucifixum.* Spero, sodales amantissimi me fateri vobis veritatem, quod hactenus ante meas exhortationes intimè, per sanctas cogitationes, inspexerim vulnera, & præcipuè vulneratum cor mei JEsu crucifixi; hisce diebus, dulcissimum illud cor visum mihi fuit liber, in quo legi descripta nomina meorum sodalium in

in hac sancta congregatione Agoniæ, vos estis, pro quibus Christus Dominus ex amore infinito taliter mortuus est. Ideo sod. amantissimi, viscera mea, ad vos pretioso Christi sanguine redemptos dilatatur cor meum, diligo vos in visceribus JEsu crucifixi; Aperit se erga vos cum latitudine caritatis cor meum, & quia illi, veluti alteri libro his diebus inscripsi decem sanctissimas cogitationes de pretioso Christi sanguine, quo rede npti sumus, si vultis modico tempore, huic exhortationi meæ præfixo, illas legere poteritis. Non possum quin illarum vos faciam participes.

§. 2. Cog. 1. sanguis Christi est catena ligans Diabolum.

Certa est hæc propositio SS. PP. *quoties peccamus,* (scilicet lethaliter) *toties nos, veluti catena revinctos, nequissimo & spurcissimo Domino, pro mancipiis tradimus*! hinc multi merito timent, ne aliquando in agone malus dæmon nos terreat his catenis, & conetur nos trahere in abyssum æternæ damnationis. Sed solari nos debemus, primo sanctissima cogitatione, quam invenio apud Sanctum Augustinum libro 13. de Trinit. *In Redemptione, tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo effuso, diabolus ligatus est, ut nos ab ejus nexibus solveremur.* Multa hactenus meis sodalibus suggessi elogia Rosarii quinque Sanctissimorum vulnerum, quo petimus sanctam mortem, si vera est cogitatio Sancti Augustini, ut est, dicere possis, hoc Rosarium, nihil aliud esse, quam catenam, qua Diabolum ligamus, ne nobis noceat in agone, præsertim, si illam catenam, sive nostram Orationem aspergamus sanguine Christi: Diabolus ligatus hac catena, in agone mordere nos non poterit: Cogitatio hæc supponit verba sancti Pauli ad Coloss. 2. v. 12. *Gratias agentes, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, & remissionem peccatorum.*

§. 3. Rosarium SS. vulnerum, quomodo sit funiculus coccineus

In devastatione Jericho, soli domui Raab fuit parcitum, quia observavit, quod illi dixerant exploratores missi à Josuë, cap. 2. v. 18. *Si ingredientibus nobis signum fuerit funiculus iste coccineus & ligaveris eum in fenestra, per quam dimissi sumus,* &c. sed cur funiculus hic debuit esse ruber? nunquid poterat esse albus, ad significandum candorē fidelitatis, quam Raab exhibuit Hebræis? nunquid cæruleus, nunquid viridis, & nunquid aureus? Sed bene respondit Orig. hom. 3. in Josue, & simul nobis suggessit binas cogitationes pretiosissimas, *Raab meretrix signum coccineum posuit in domo sua, per quod salvari debet ab excidio civitatis. Aliud nullum fuit signum, quod acciperet, nisi coccineum, quod sanguinis forma gerebat, sciebat enim, quod nulli esset salus, nisi in sanguine Christi! Omnes, qui inventi fuerint in domo hac, salvabuntur. In illo qui vult salvari, pro signo ponatur sanguis Christi.* Hæc cogitate sub oratione Rosarii sanctissimorum vulnerum. 2. Ut in agone, in excidio animæ nostræ, diabolus nocere non possit, opus esse funiculo coccineo, intincto in sanguine Christi. 3. Cogitate, non salvandos vos nisi in sanguine Christi. 4. Sanguinem Christi in nobis debere esse signum æternæ prædestinationis, & dicam Rosarium

sanctissi-

sanctissimorum vulnerum, si hæ cogitationes sub oratione excitent signum devotionis, fore in nobis coccineum funiculum, quo viso dæmones terrebuntur, & nihil nobis nocere poterunt.

§. 4. *Cogitatio 5. De sanguine Agni & Christi Domini.*

In Ægypto Angelus exterminans omnes primogenitos, illis ædibus nocere non potuit, quarum sanguine aspersi fuerunt postes portarum. Pulchrum Sancti Chrysostomi hom. 45. in Joan. *Quod si in figura tantam habuit vim sanguis Agni in medio Ægypti aspersus, quanto magis veritas?* Talia cogitemus 5. de sanguine Agni immolati in ara crucis, hoc sanguine aspergamus animas nostras, etiam in agone, in tenebris & umbra mortis, &c. Angeli mali nobis nocere non poterunt.

§. 5. *De vi illius sanguinis contra diabolos.*


S. Edmundus, cum per Passionem & sanguinem JEsu Christi, diabolum adjurasset, ut ediceret, per quæ arma, facillimè vinceretur, respondit, *per ea, quæ nominasti, per Passionem & sanguinem Christi*; in hoc rubro mari infernalis Pharao, cum omni potestate tenebrarum facillime submergitur. Ex his cogitationibus, & sanctis desideriis conemur, ut 6 in eodem sanguine, per verum dolorem submergamus nostra peccata, ingens olim in agone percipiemus solatium.

§. 6. *Alia sancta cogitationes de sanguine Christi.*

Sed hujus cogitationis fructus debet esse 7. S. Bonav. in Stim. D. am. p.1. c.1. *Qui illum pretiosissimum sanguinem, pro anima sua dealbanda, & lavanda, effusum esse agnoscit, dedignatur iterum vilitatibus vitiorum se inquinare.* Si tanti Christus JEsus nos fecit (est hæc 8. sanctissima cogitatio) ut redimendo sanguinem sudaverit, & fuderit, & sanguine laverit; tanti nos debemus facere Christum, ut talem amatorem, nulli creaturæ postponamus; deinde, tanti debemus facere illud pretium sanguinis, ne unquam illud per grave aliquod peccatum perdamus S. Laurentius Just. 9. cogitavit. *Inflammat me ad JEsum amandum ejus Passio, quam pro nobis sustinuit, ut accendar ipsius amore, inspicio vulnera Christi in cruce pendentis, & morientis, & defluentem ex illis sanguinem.* Eadem cogitemus & nos sub oratione nostri Rosarii, ex SS. Vulneribus, ex illo sanguine in nos erumpent flammulæ, quæ ignem nostrum facient exardescere. Cogitatio mea 10. est vehemens Beati Francisci Xaverii, ex hymno *Te Deum laudamus*, desiderium, *Te ergo quæsumus.* Ite mei sod. Peculiaris devotio erga sang. Christi, erit nobis causa.

S. mortis.

* * *



DECAS



DECAS XI.

Sive

EXHORTATIO XI.

Pro Menſe Novembri, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardeſcet ignis, Pſalmo 38. verſ. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DEcem pretioſæ cogitationes, de Vulnere Lateris & Cordis JESU Crucifixi.

§. 1. *Fons pretioſarum cogitationum eſt apertum cor Chriſti.*

§. 2. *Prima cogitatio de myſteriis, ob quæ latus, & cor Chriſti lanceâ aperta fuerunt.*

§. 3. *Secunda & tertia cogitatio, de aperturâ lateris, & ipsâ lancea.*

§. 4. *Cogitatio quarta, de loco Vulneris, an fuerit in latere dextero, vel ſiniſtro.*

§. 5. *Cogitatio quinta de magnitudine hujus Vulneris.*

§. 6. *Cogitatio 6. de effluente, vel erumpente ſanguine.*

§. 7. *De aqua, quæ cum ſanguine effluxit.* 8. *de dolore triſtiſſimæ Matris.*

§. 8. *Cogitatio 9. Cor Chriſti eſt habitaculum noſtrum.* 10. *ſuſpirium S. Bonaventuræ.*

§. 1. *Fons pretioſarum cogitionū eſt apertum Cor Chriſti.*

HAc exhortatione decem pretioſas cogitationes, pro excitando igne devotionis ſub oratione Roſarii hauriam ex ipſomet fonte gratiarum, amoris, &c. id eſt, ex Corde JESU Crucifixi, illud, quamprimum Chriſtus D. in Cruce exſpiravit, nobis mucrone diræ Lanceæ, immanis vulneris hiatu aperuit Longinus, ut ſatis fieret furori & crudelitati Judæorum, qui deſiderabant exanimi corpori adhuc inferre Vulnera & injurias; Taulerus ait: *hac crudelitate Judæos oſtendere voluiſſe tantum fuit ſcelus & facinus, Salvatoris quod in vivo corpore dignè caſtigari nequiverit: itaque neceſſe fuerit in Corpus exſtinctum deſævire.* Quod tamen DEUS fieri non permiſiſſet, niſi alia profun-

diora mysteria ex illo fonte eruta fuissent.

§. 2. *Prima cogitatio de mysteriis, ob qua latus & Cor Christi lancea aperta fuerint.*

Sic enim aperta fuit porta Vitæ, ut ad vitam omnes ingredi possimus, pone supra Joannis 10. *Ego sum ostiũ, per me si quis introierit salvabitur.* Sic aperta fuit fenestra arcæ sanctissimæ, ut post triduum in eandem redeat Columba animæ ejus SS. post diluvium Passionis. Sic laceratus fuit saccus, in quo absconditi sunt thesauri divinitatis, ut illos inde nobis tollamus. Ps 29. v 12. *Conscidisti saccum meum.* S. Aug. *non tibi vilescat quod dicat saccum, ibi erat inclusum pretium tuum. Conscidit saccum lancea, & fudit pretium noster Redemptor.* Sic aperta fuit Aula Divina, in quâ paratus fuit ab æterno nuptialis thalamus, pro suâ sponsa, pro Ecclesia & quavis animâ sanctâ. Sic in pectore JEsu aperta fuit valva, per quam in ipso corde inspicere licet arcana secreta amoris, apertus est fundus & fons Cordis JEsu. Sic apertæ fuerunt venæ divini fontis, ut inde sanguinis, & aquæ profluentibus undis, formaretur unica & immaculata Virgo S. Mater, Ecclesia sponsa sua. Sic gladio flammeo, quo Cherub hactenus custodivit Paradisum aperuit. Sic lancea, facta est clavis reserans intimum Conclave divinitatis, ut illud ingressi, suavissime cum Amore nostro loquamur, & in dulcissimo hoc loco deliciosissime cum illo conversemur.

§. 3. *Secunda & tertia cogitatio, de apertura lateris.*

Mysteria hæc perpendens cogito 2. cum Innocentio VI. summo Pontifice l 2. ep. 135. *O Beatissima ipsius lateris apertura, unde nobis tot & tanta divina Pietatis dona fluxerunt, hinc siquidem nostrum Redemtionis pretium, hinc & ablutionis & regenerationis lavacrum, hinc ipsius Ecclesia Sacramenta suscepimus:* Cogito 3. cum eodem: *O felix lancea, qua tot bona nobis effecit, & ad tanti triumphi gloriam superadditam, hoc latus aperiendo sanctum, jannas nobis regni cœlestis aperuit. Hac vulnerando jam mortuum, vulnera nostra sanavit, vitamque nobis reddidit & salutem. Hac innoxium transfigendo, illius sanguine nostras culpas detersit, & demum iisdem undis sanctissimis irrigata, cæcitatis nostra tenebras sustulit, & nos ipsius divina pietatis fluviis inundavit, &c.*

ipsâ lancea.

§. 4. *Cogitatio 4. de loco Vulneris, an fuerit in latere dextero, vel sinistro.*

Pie aliqui quærunt, ex quo latere Christi, ejus Cor apertum fuerit? Respondet S. Bern. ser. 7. in ps. 90. *Dexterum sibi propter me passus est latus fodi* (percipite 4. piam piissimi viri cogitationem) *quod videlicet non nisi de dextera mihi propinare vellet.* In tremenda illa die reprobis stantibus ad sinistram propinabit sulphureum calicem damnationis, discedite. Oviculas ad dexteram potabit torrente voluptatis, cujus originem Longinus ad dexterum latus in Corde Christi invenit. Ob eandem causam ait S. Bernardus: *Non nisi in dexterâ patere nobis voluit locum refugii.* Cum primus Adam in Paradiso suaviter dormiret, de latere ejus dextera formata fuit Eva, in eo latere vulneratus fuit Christus, cum inclinato capite in Cruce dormivit, ut ex illo prodiret nova & cœlestis Eva, sponsa Christi Ecclesia.

§. 5. *Cogitatio 5. de magnitudine vulneris*

Magnitudinem hujus Vulneris quod attinet propono vobis quinto loco cogitationem, quâ B. V. revelavit S. Brigittæ l. 2. c. 21. *In corde punitus*

erat


in latere Christi. *erat tam amare & immisericorditer; quod pungens non destitit, donec lance attigit costam, & amba partes Cordis essent in Lancea.* Item. *Infixit lanceam in latere ejus dextero tam vehementer & valide. quod quasi per aliam partem corporis lancea voluit pertransire.*

§. 6. Cogitatio 6. de effluente vel erumpente sanguine. Cogitatio mea sexta, cymba est, qua natare & submergi cupit in copioso sanguine, qui ex aperto Christi D. latere & corde magnâ copiâ & cum impetu erupit. Id quod ex mente Angelici Doctoris, valde fuit miraculosum, ut de Corpore mortui, inquo est sanguis congelatus, sanguis exiverit. Orig. *In aliis corporibus mortuis sanguis cogitur, ex JEsu autem mortui corpore, ne tum quidem cessantibus miraculis, sanguis profluxit de latere.* S Brigitta. loco cit. Cum extraheretur lancea de corpore, statim abundanter exivit de Vulnere illo cum impetu quasi quidã fluvius sanguinis. S. Joan. Chrysost. ser. de latrone T. 6. *Sanguis non ita exivit, ut simpliciter flueret. sed cum impetu ut latronis corpus adspergeret.* S. Aug. *Quid isto Vulnere salubrius? quid isto sanguine mundius?* addo ego, quid calidius, ut corda nostra quodam igne amoris & devotionis accendantur?

§. 7. Cogitatio 7. de aqua qua sanguini fuit mixta, & 8. de doloribus Dolorosa Matris. Auctum fuit miraculum, quod ex illo Vulnere cum sanguine exiverit copiosa aqua: juxta prophetiã Ezech. cap. 47. v. 2 *Et ecce aqua redundantes à latere dextero.* S. Augustinus, *Sanguis, & aqua profluxit, in hac est mundatio nostra, in illo Redemptio.* Non permittit tempus huic exhortationi præfixũ, ut septimo loco hæream in pretiosis cogitationibus circa hanc aquam. Urgeor ut 8. vos breviter moneam, ut SS. quoque foveatis cogitationes, de immani dolore quem Lancea Longini inflixit Cordi tristissimæ Matris. Revelavit illa S. Anselmo, quod tunc totaliter impleta fuerit Prophetia Simeonis, quod tunc gladius pertransiverit cor suum. S Brigitta ait, *Quæ videns Mater*, scilicet Lanceam in pectore Filii, *ita vehementer in ejus facie, & gestu, quod anima ejus tunc penetrabatur acuto doloris gladio.* S. Bern. *Revera Mater dulcissima, doloris glaudius scidit animam tuam, quando crudelis lancea latus filii transfixit. Non n. sua illic, sed tua potius anima erat.* Cum una ex duabus Matribus coram Salomone, audivit tantum hæc verba l. 1. Reg. c 3. *Dividatur infans, commota sunt viscera ejus super filium suum*, quid cogitamus de Matre, &c.

§. 8. Cogitatio 9. Cor Christi habitaculum nostrum 10. suspirium S. Bonaventuræ. Nona pretiosa cogitatio, de hoc SS. vulnere fuit S. Bernardi cum dixit: *Ad hoc vulneratum est Cor JEsu, ut in illo habitare possimus. Bonum est nos hic esse, ne sinamus nos avelli ab eo. O quam bonum & quam jucundum habitare in corde hoc.* Præsertim in agone, &c. adeo, ut S. Bonaventura exclamarit, (eadem exclamatio erit decima & ultima cogitatio hujus decadis,) *O si fuissem loco illius lanceæ? exire de Christi latere noluissem.* Considera hæc piè & Spiritus S. piissimum tibi suggeret affectum.

* * *



DECAS XII.

Sive

EXHORTATIO XII.

Pro menſe Decembri, in Congregatione JESU Agonizantis.

In meditatione mea exardeſcet ignis, Pſal. 38. verſ. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DEvotionem noſtram ſub Roſario quinque SS. Vulnerum, exardeſcere facient decem piæ & affectuoſæ Cogitationes de doloribus Doloroſæ Matris, in depoſitione Filii de Cruce.

§. 1. *Introitus.*

§. 2. *Cogitatio 1. de ſpinea Corona, quam triſtis Mater in depoſitione Filii ſuis manibus excepit.*

§. 3. *Altera cogitatio, de clavis, quos repoſuit in ſinu ſuo.*

§. 4. *Tertia, de Capite Cadaveris JEſu, repoſito in ſinu Matris. Cum digreſſione ad magnitudinem doloris in corde B. Virginis.*

§. 5. *Quarta, & quinta de lacrymis Matris, & aliis officiis, cum digreſſione ad triſtem Jacobum, ob viſam tunicam Joſeph.*

§. 6. *Sexta & ſeptima cogitatio.*

§. 7. *Octava, de lachrymis ſanguineis. Nona, de maternis viſceribus quaſi diſruptis. Decima, de ſepultura.*

§. 1. *Introitus.* POſt centum decem pretioſas cogitationes, & affectus, ex conſideratione Paſſionis, quibus hactenus conatus fui excitari & inflammari ignem noſtræ devotionis ſive amoris erga Chriſtum Crucifixum, ſub recitatione Roſarii quinque SS. Vulnerum, pro obtinenda ſancta morte, pro clauſula duodecim Decadum, quas initio hujus anni in menſe Januario promiſi me vobis propoſiturum, ſuperſunt decem piiſſimæ

issimæ & affectuosissimæ considerationes, non universim de doloribus Dolorosæ Matris, sed illis, quibus Virgineum cor in depositione Filii de Cruce cruciatum fuit. Fuit illud mysterium, quasi coronis & complementum Passionis, sit quoque ultimum objectum meatum Considerationum.

§. 2. Cogitatio 1. de spinea Corona, quam tristis Mater in Depositione Filii suis manibus excepit.

Hæc sit prima cogitatio hujus XII. decadis. Postquam Joseph ab Arimathia & Nicodemus in altum Crucis per scalas ascenderunt, ante omnia cum magna reverentia Capiti salvatoris detraxerunt spineam Coronam, ille stans in inferiori parte scalæ acceptam porrexit tristissimæ Matri. O triste objectum pulcherrimis illis oculis: Meditantur SS.PP. B. V. mox proruisse in genua, & posito fasciculo illo myrrhæ inter ubera, dixisse cum ingenti luctu & gemitu: Adoro te, O sancta Corona, pretiosior omnibus coronis hujus mundi O spinæ, quomodo pupugistis, quomodo vulnerastis, quomodo lacerastis Caput Filii mei. O quis mihi dabit ut tantum thesaurum abscondam in intimis visceribus cordis mei! Adverto sodales amantissimi ex oculis vestris, video, conicitis oculos vestros in hanc spineam coronam, & ni fallor adverto quoque jam primam hanc cogitationem excitare igniculos vestræ devotionis, quid facient reliquæ? Spero incendium.

§. 3. Altera Cogitatio, de clavis, quos reposuit in sinu suo.

Alteram cogitationem suggerit mihi Baronius, qui de B. Virgine ait: *In Filii corpore de Cruce deponendo, maternis manibus inservivit; & clavos qui extrahebantur, in sinu suo excepit*: Sic mihi rem imaginor interim dum tristis Mater, spineam coronam cum piissimis osculis salutavit, Joseph & Nicodemus extraxerunt clavos; hos ut Virgo vidit in manibus S. Joann. & Mariæ Magdalenæ, ipsa Coronam in expansâ mundâ Sindone sub Cruce deposuit, & acceptis clavis ex manu S. Joannis, postquam illos oculis bene lustrasset, sic suspiravit; O Clavi! qui vulnerastis manus, quæ crearunt cœlum & terram! O Clavi, ut manus & pedes Filii mei, sic vulneratis & penetratis Cor meum; nihilominus non cupio, ut alibi quiescatis quàm inter ubera mea! in corde meo erit locus vestræ quietis. Sodales amantissimi mementote lacrymarum, quæ ex oculis Matris defluxerunt super hos clavos; mox in cordibus vestris exardescet adhuc magis ignis vestræ Devotionis.

§. 4. Cogitatio. 3. de capite Cadaveris IEsu reposito in sinu Matris.

Tertiam cogitationem sumo ex S. Anselmo, qui ait, *Cum depositus esset de Cruce, posuerunt eum super terram, bene ad tres passus de loco Crucis, in sindone munda.* Quid cogitatis egisse Matrem? Pictores pingere solent ad manus S. Joannem; ad pedes Mariam Magdalenam. B. Virgo dixit S. Brigittæ l. 7. Re. c. 15. *Et ego caput ejus in sinum meam recipiens, amarissimè flere cœpi. Deposuerunt Dominum quidam amici ejus* (pergit S. Ans.) *quem tunc pia Mater recepit inter brachia sua sanctissima, & reclinavit eum*

sedens in genu suum, totum vulneratum, dilaceratum & lividum.

§. 5. Quarta & quinta, de Matris lacrymis & aliis, cum digressione ad tristem Iacobum, ob visam tunicam Ioseph.

Jam cogitemus 4. quomodo, Mater mœstissima, mundissimo linteo terserit totum Corpus ejus, & Vulnera; Cogitemus, 5. quas simul effuderit lacrymas, ut iisdem cruentas plagas, quantum potuit, emundaret, sic loquitur S. August. & quo putatis dolore? Cùm Jacobo ostensa fuit sanguinea toga sui Joseph, addito tristi nuntio, quod à ferâ esset devoratus, ait S. Ephrem 1. de Joseph, illum prorupisse in hæc verba; *Cur non ego potius loco tuo devoratus sum fili? Cur non mihi occurrit ista fera, ut meis saturata carnibus, te illæsum reliquisset mi fili! Cur non me potius discerpsit, ac dilaniavit illa bellua, cibusque illi ad satietatem non sum factus miser? Heu mihi, dilacerantur viscera mea, propter te, fili mi Joseph! Hei mihi! ubinam meus trucidatus est filius? Vita mihi jam gravis est, dum amplius Joseph meum non conspicio, deficiat anima mea cum tua anima Joseph fili dulcissime.* (fiat affectuosa similis Prosopopœia Beat. Virginis.)

§ 6. Sexta & septima cogitatio, cum digressione ad magnitudinem doloris in in Corde B. Virginis.

In cogitatione sextâ, cum S. Laurentio Justiniano hanc circumstantiam advertere debemus. *Ingressa fuit Virgo* (cogitationi huic occasionem videtur dedisse versus 9. cap. 10. Joannis) *Per me, si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet*: super hæc inquam verba ait cit. auctor, *Ingressa ad singula Corporis membra, & ubique mœroris invenit pascua*: in oculis filii, in labiis, in ore, in fronte, in capillis, in collo, &c. Cogitemus 7. Labia dulcissimæ Matris non fuisse otiosa; osculata fuit jam Vulnera Capitis, jam manus, jam pedes, tanto dolore, ut S. Anselmus de exc. V. eandem his verbis fuerit allocutus, *Martyrium qualecunque leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ Passionis, quæ nimirum suâ immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi Cordis intima. Et utique pia Domina! non crediderim te potuisse ullo pacto, stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus scilicet dulcissimi Filii tui, pro quo moriente conquerebaris, tantopere torquebaris, te confortaret, & intus consolaretur.* O tristis Mater! inter hos dolores es clemens Virgo & Mater! inter tantas angustias, es pia, in tantâ amaritudine, es dulcis! O Clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria, O tristis Mater fove in cordibus nostris has cogitationes, ut simul faveatur & accendatur ignis amoris erga JEsum & Mariam?

§. 7. 8. Cogitatio, de lacrymis sanguineis. 9 de maternis visceribus quasi diruptis 10.

Cogitationem octavam hujus decadis, iterum dirigo ad oculos tristissimæ Matris, de quibus dixit S. Germanus, *Oculi ipsius rubebant sanguine, & palpebræ ipsius tumebant, quia jam corrosæ erant genæ illius roseæ, & etiam lacrymæ sanguineæ de ejus oculis emanarunt, propter fletum amarum.*

Inde